AEGINETICORUM

LIBER

SCRIPSIT

CAROLUS MUELLER

SILESIUS

D. PH. AA. LL. M.

BEROLINI

E LIBRARIA REIMERIANA

1817.

VIRO CELEBERRIMO

AUGUSTO BOECKHIO

PRAECEPTORI SUO PIE COLENDO

STUDII IN HISTORIIS GRAECIS A SE PONENDI

HAS PRIMITIAS

VENERABUNDUS

OBTULIT

CAROLUS MUELLER.

Iam fere annus est, ex quo Tu, quo consilio et qua providentia studia mea regebas, animum meum ad res Aeginetarum, de quibus dudum cogitaveram, pertractandas revocasti, tum in Samothracum delubris assidue versatum, et piacula indignantem quae in horum sacrorum sanctimoniam admitti solent. Tergiversans, fateor, ac fere invitus Dardaniae tesca dereliqui, ut in Aeginam transmigrarem: mox, cum subsidiis scriptionis meae tum alia accessissent, tum, quicquid de marmoribus Aeginaeis ad hunc usque diem repertum innotuit, ex inaestimabili illo inscriptionum thesauro a Te liberaliter esset depromptum, et in usus meos concessum: iam novâ auctus fiduciâ, fragmentis historiarum eius insulae indagandis et componendis denuo coepi operam dare. At bene me habuissem, si in fragmentis tantum, velut poëtae cuiusdam, sedulo colligendis concinneque disponendis mens mihi omnis fuisset locanda: bene etiam historia Graecorum, si ulla eius pars a virorum doctorum ingeniis tantopere frequentata esset, ut non elaboraturum in eâ quemvis, quovis se verteret, e disquisitione in disquisitionem incidere oporteret. Quas quidem disquisitiones si quis, civitatis alicuius, minoris praesertim historias enarraturus, strenue susceperit: molem rerum sibi succrescere, iustosque opellae terminos multum intelliget superari. Quod cum etiam mihi in hac de Aegine-

tis narratione evenisset, equidem acerbiori usus medicina, quae ulla ratione potui, abscidi, contraxi; passim bene longae meditationis verba tantum quaedam tanquam vestigium et notam reliqui; denique libellum meum talem effeci, qualis nunc est. Iam velim ut, qui abruptum meum gratiarumque expers dicendi genus increpabunt, aut mirabili quadam ii cogitent arte mihi opus fuisse, quae materiae tenebras cum dilucida expositione consociaret: qua ego arte penitus egeo: aut, si nihilosecius obscuritatem illam defugere voluissem, Aeginetica mihi conscribenda fuisse talia fere existiment, qualia Cyrenaica et Deliaca Actis insunt Academiae Inscriptionum Gallicae, morosa omni et importuna difficultate iucundo quodam orationis ambitu callide devitatâ. Aut fortasse, si pleniores minusque lacunosi desiderabantur annales, Andreae Marmorae, hominis Corcyraei, lumen imitandum erat, de Phaeacis regno, tanquam aequalis sibi principis, et de vetusta Corcyrae urbe adeo eruditi, ut ipsam eam graphice delineatam exhibuerit, aedesque regias, curias, templa, omnia nitidissime distincta. In quibus Graeculus agnoscitur patriae urbis gloriae immane quantum studiosus. Sed nolo in loco, quem Tuo nomine, Vir doctissime, insignivi, rem mihi esse cum hominibus tam ludicris. Quanquam eodem hoc nomine quaevis mihi fere libelli huius pagina decora est: neque prorsus aliter

fieri potuit. Ceterum e tribus potissimum fontibus defluxisse profiteor, si qua opellae meae insunt nove cogitata, primum e scholis Tuis tum ceteris tum in Seminario philologico habitis, e libris deinde quos edidisti, denique e familiariore sermone, quo Tu me ac Buttmannus Tuus erexistis. Qui vir et ingenio et humanitate eximius quando mecum de heroicarum maxime fabularum religionumque veterum recta interpretatione disseruit, eas horas ego semper inter iucundissimas censebo vitae meae. Nec profecto Te id fugiet, saepissime protulisse me, quae nudius tertius ex Tuo ore tradita acceperam, saepe etiam ne commemoratione quidem nominis addita. Iamque vides quale tibi obtulerim munusculum, Tibi Tua et haec quidem satis bona: cetera si Tibi non plane displicebunt, habebo quod gaudeam; si displicebunt, ea Tu nec cures, velim, nec legas, neque nomine Tuo protegas.

Scribebam Berolini mense Octobri 1817.

Summarium.

Prooemium.

Graeciam quae insularum disiectarum continentisque montuosae necessitas et diversa colonorum origo et indoles in innumeras fere civitates diremerat, unius plerumque urbis terminis circumscriptas: eadem omnes Graecorum animi libertatis amantissimi contentiones singulari quadam ratione exacuerat. Horum quippe oppidulorum, quorum ex consociatione bellum Persicum, e discidio Peloponnesiacum crevit, horum aemulatio et odia prope dixerim popularia vitae publicae vigorem, nervos fortitudinis, artis qualiscunque florem nutriverunt. Nam tum profecto Graecia maxima cepit incrementa, cum Argolidis et Boeotorum, Euboeae et Ionum oppida marisque Aegaei insulae liberae adhuc et suis quaeque legibus florerent: sed fracta est, cum paucarum civitatum impotentiae succubuissent: neque enim augentur nationes, quae aemulas sui, potentiae libramentum, deturbaverunt; sed quod ipsarum vitam aluerat, quod civibus virtutis invidiam instinxerat, id se sibi sentiunt surripuisse.

Quis igitur res Graecas universas, perpetuo harum civitatum concursu et conflictione compositas, nisi iam singularum civitatum memoriâ redintegratâ unicuique suum in complexu omnium locum designaverit, unquam pernosci posse opinabitur? neque tamen adeo multi exstiterunt, qui huius in se operae et taedium et iucunditatem susceperint. Relinquitur enim adolescentulis. Meum quidem animum quanquam multa sunt, quae ad Aeginae potissimum historiam scribendam allicere potuerint, his praesertim diebus, quibus ars populi istius, quae iam in multorum oculis est, quaestionem de eius mercaturis opibusque atque classibus rebusque et publicis et sacris unâ attulit: tamen confiteor libere et libenter, haud magis signa illa ad lucem nuper

protracta, ipsamque gentis indolem Atticae aemulam id mihi studium carum acceptumque reddidisse, quam rerum obscuritatem, quae ut ope critica maxime indiget, sic ad afferendam vehementer excitat. Debetur autem in Aegineticis causae duplici, si mavis, uni.

Alteram invenire mihi videor in maturo civitatis huius flore, praematuro eiusdem casu; siquidem Aeginetae, potentiae fastigium iam ante bellum Persicum nacti, anno post pugnam Salaminiam, cuius palmam obtinuerant, primo et vigesimo Atheniensium ditioni subiuncti, secundo autem belli Peloponnesiaci patriâ extrusi in Graeciam evolaverunt. Atqui ipsum Herodotum ea, quae de Aeginetarum bellis scripsit, non modo post subactos, sed post eiectos Aeginetas composuisse, probant illa, quae commemoratâ fani Cereris violatione addit [a]: *Aeginetas prius expulsos esse ex insula, quam propitiam sibi reddiderint deam*; quae verba totius narrationis colori consona serius a sriptore addita esse non possunt. Liberae autem Aeginae aetatem unus attingit Pindarus, quem tum Dorica origo, tum vetera Thebarum hospitia cum Aeginetis coniunxere. Sed his accedunt Atheniensium atque Aeginetarum inimicitiae omnium, quas Graecis ante proelium Salaminium componere cordi erat, vehementissimae et acerrimae: quarum ne scriptores quidem Attici expertes esse poterant. Quid quod Herodotus pro sua, qua Athenienses prosequitur, benivolentia, quanquam interdum etiam ea, quae ab Aeginetis relata acceperat, reddidit, plurimum tamen illorum narrationem sectatus est: Thucydidem vero, ubi de gentis invisae et omnibus tum exilii miseriis afflictae honore dicendum erat, verborum esse quam parcissimum consentaneum est [b]. Et habes sane, unde in plurimis, quae ab Atticis tradita sunt, iram et studium odoreris. Attamen, nisi aliae rationes accesserint, suspiciones huiuscemodi temere sagaces procul habemus.

Aeginetica conscripserunt veterum plures. Exstabant Athenaei certe tempore Pythaeneti Αἰγινητικῶν libri: quorum etiam nunc fragmenta supersunt haud spernenda [c]; plura quidem, sed leviora Theagenis historici [d]), cuius e commentariis περὶ Αἰγίνης ipsum Strabonem nonnulla transscripsisse, loci utriusque probant infra (p. 5. n. x.) comparandi. Horum quae indagata habemus, suo quidque loco ponemus et illustrabimus: nunc, prius-

a) VI, 91. b) V. max. Dion. Hal. de idiom. Thuc. p. 143.

c) V. Indicem. Cf. Heyne ad Apoll. III, 12, 6.

d) Θεαγένης, Θεογένης. (v. Duker. ad Thuc. IV, 27. p. 255.). Cf. Voss. hist. Gr. III, p. 417. Ions. de script. hist. I, 3. Hesiodus π. Αἰγίνης commentum Dan. Heinsii est.

quam ad rerum ordinem contexendum accedam, liceat mihi situm et naturam loci describere.

Ex Anchesmo, nunc Ἁγίου Γεωργίου, Athenarum colle in urbem et Saronicum mare prospicienti dextra iacet Acrocorinthus, sinistra Scyllaeum Argolidis longe in mare porrectum; propiores Athenis ex illa parte Salaminis vicinae vertex, hac Aeginae culmen. Cui altior multo imminet mons Arachnaeus, qui dum Artemisii tractum continuat, a communi Peloponnesi montium radice, Arcadiae iugis, decurrit [e]. Si vero maria finitima spectas, sita est Aegina [f] in sinu Saronico, et ita quidem, ut insulae solstitiale litus pulsetur Cretico, orientale alluatur Myrtoo mari [g], eandemque veteres sinus Hermionici terminum constituerint [h], ambigua inter Atticam atque Argolidem, huic tamen propior. Nam a Cherrhoneso Methanaea eam vix triginta, a Salamine nonaginta stadia dirimunt [i]. Sed imminet Piraeeo [k], stadiis centum et viginti dissito [l].

Circumiacent insulae minores, aut potius scopuli de-

---

e) E Stuarti Antt. Attic. V. 1. tb. I. p. IX.

f) Cycladem dixit Steph. Byz. s. v. quem tueor adversus Holstenii p. 14. *Αἰακιδῶν*. Nam ita idem Nisyrum et Telum et Icum. Sporadem Tzetz. ad Lyc. 176. Ampel. c. 7. et Schol. Pind. Nem. III, 1. Sed utraque opinio falsa est.

g) Ita Strabo II, p. 124. VIII, 375. Eust. ad Il. B. p. 603. Pol. et ad D. P. 513.

h) Str. VIII, 375; Calauriam Agathem. II, p. 15. Huds. De sinu Hermionico veterum opiniones notant Gosselin. Geogr. Graec. anal. p 84. Ukert. p. 268.

i) Cui, ut Aeschylus ap. Strab. IX, 393,

Αἴγινα δ' αὐτὴ πρὸς νότου κεῖται πνοάς.

Sed haec: *ἑκατὸν σταδίους ἑκάστη διέχουσα*, Str. negligentius scripsit. Ab Athenis eam Demetr. de eloc. § 306. loco bello, *οὐχ ὅλους ἀπέχουσαν διακοσίους σταδίους* dicit. Scylaci p. 56. Huds. *εἰς Αἴγιναν πλοῦς ἐστι προαριστίδιος*, (LX. fere stad. cf. p. 55. ima) a Calauria, ut in capite misere excerpto et corrupto coniicio. V. Dapper. Archip. 273. Spon. II, p. 205. (ed. Amstld.) Cf. Cellar. Orb. Ant. T. I. p. 1014. Larcher. Herod. VIII, p. 187. 384. Tzschuck. ad. Mel. T. III. II, p. 702.

k) *Piraeei gramiam* Aeginam facete dixerat Atticus, quem alii Periclem, alii Demadem oratorem nominant. Aristot. Rhetor. III, 10, p. 349. Buhle. Athen. Deipn. III. 9. Plut. Demosth. p. 846. Apophth. Lacon. 168. c. Alciphr. Epist. p. 377. a. Cuiac. Cf. Meurs. Opp. T. I, p. 563. II, 432.

l) Cuius traiectus merces nautae Platonis tempore (Gorg. 143. d.) oboli duo, Luciani (III, de nav. 15.) quatuor soluti esse videntur. — Urbis situm mathematicum Cl. Ptolemaeus III., p. 91. ap. Bertium longit. 52° 20′, latitud. 36° 45′ constituit. Nostris insulae montis latitud. 37° 41′ 30″, long. Greenw. 23° 41′ 45″ est.

nudati ea maris Saronici tenuitate, quae, quominus Isthmi intercapedinem discinderent, Demetrium atque Neronem, Aeginae metuentes, impediverat m). Spiraeo obiicitur Aspis, quam auctor apud Stephanum arbore carentem dixit n); Methuriadem memorat epigramma Simonideum in Geraneam, promontorium illud Megaricum saltu Inoo celebratum, quod ob naufragia optatur procul abesse ad Istrum et Tanaim,

μηδὲ πέλας ναίειν Σκειρωνικὸν οἶδμα θαλάσσης
ἄγχεα νιφομένης ἀμφὶ Μεθουριάδος o).

Contra Epidaurum Cecryphalos cum promontorio Peloponnesi cognomini p). Prope Pityonesus pinuum silva tristis q). In Troezenem versus Lasia, Plateis, Baucidias: inter Scyllaeum denique et Sunium Belbina, culta a gente contemptissima, ut probant Herodotus VIII, 215. et Teletis (ap. Stob. Serm 38, p. 233) τοῦ Κυθνίου, τοῦ Μυκονίου, τοῦ Βελβινίτου recensus r). Quid quod Aeginam ipsam scopulorum saxorumque latentium multitudo, ut fama ferebat, ab Aeaco ut praedones ab insula arceret circumquaque disiecta, insularum Graecarum aditu difficillimam reddebat s).

Est vero insula perquam exigua. Collocat quidem eam Scylax p. 56. insularum magnitudine duodecimam inter Thasum et Lemnum: sed quid ei dabimus, qui decimam Samum, undecimam Corcyram, duodecimam Casum, decimam tertiam Cephalleniam dicat? Strabo autem, et qui

---

m) Str. I, p. 54. Plin. IV, 4. Luc. de perf. Isthm. III, 4, 639. R.

n) Hinc, puto, apud Plinium Adendros insula, ut e codd. scribo. Cenchreis eiusdem nihil nisi Salaminis nomen. Eleusa etiam ap. Str. IX, p. 398. occurrit. Cragias, Caeciasque duas et Selachusam Plinius IV, 19, 12. solus habet. Aspidis nomen haud dubie ob scopulos Sophocli *Ναυπλίῳ καταπλέοντι* memoratum est.

o) Tib. Hemsterh. ad Luc. T. I. p. 307, adsentiente Gaisford. Poet. Min. p. 385., scripsit *Μολουριάδος*, offensus puto Stephano *Μεθουριάς, πλησίον Τροιζῆνος*. Sed Pl. eam in sinu Megarico collocat. Androtionis locus est ap. Siebel. Atthid. p. 112.

p) Ut Plin.: Thucyd. *Κεκρυφαλεία* (I, 105.); ceteris *Κεκρυφαλία*. V. Ducker. ad Thuc. p. 68. Diod. XI, 59. Aristid. I, 269. Phot. Bibl. C. 246. p. 1221. Steph. Byz. s. v. Schol. Thuc. l. l.

q) VI m. p. a continente. Ab hac Aegina XVII m. p. Plin. l. l. De nomine audi Salmas. ad Solin. p. 198, de insula ipsa Tzschucke ad Mel. III, II, p. 702.

r) Praeter Strab. VIII, 375. IX, 398. memorat Scylax 19. p. 21. Huds. Plin. IV, 9. et Artemidor. ap. Steph. Byz. s. v.

s) Ita Pausanias II, 29, 5. *Πέτραι γὰρ ὕφαλοι περὶ πᾶσαν καὶ χοιράδες ἀνεστήκασι* (Eadem opposita ap. Ael. H. A. IV, 28.) Cf. Chandl, , 4. p. 13. Kingsbergen. Archip. I, 43. Stuart p. IX.

eius scrinia compilaverunt [t]), circulum, quo insula ambitur, in stadia CLXXX definiunt, quod auctor sibi redditum Casaubono debet. Qui tamen si Strabonis numero concinere dicit Plinii M. P. XX, si editor Pomponii Plinium et Agathemerum inter numerum CL et CLXXX stadiorum pendere dicit, uterque errat. Ii enim diversam prorsus rationem secuti, Plinius (IV, 12.) Aeginae *praeternavigationem* XX. M. P. et Agathemerus (II, p. 16 Huds.) Αἴγιναν νῆσον προμήκη στάδια ξʹ dicunt. Ubi praeternavigatio est Scylacis παράπλους, quo cum certe haud minus sit Agathemeri μῆκος [u]), iam apparet, horum rationem a Straboniana longe differre. Quam tamen vero esse propiorem, nostrorum descriptiones exactiores commonstrant [v]).

At profecto, ut mare vicinum, ita Aeginam ipsam antris et rupibus natura voluit esse deformem. Ab his puto litus septentrionale Τριπυργία dictum [w]), in illis e vetere fabula Myrmidones habitaverant, postea in insidiis latuit Chabrias. In qua tamen saxorum copia, fallitur, qui cum Oudendorpio (ad Appulei. I, p. 25.) aeris Aeginetici gloria deceptus metalla effossa putat. Enimvero ipso Plinio (XXXIV, 2.) teste *Aegina metalla non gignit*. Memoramus inter montes Ὄρος Πανελλήνιον, e regione Phaleri Attici, collem leniter declivem, sed et prospectu in Peloponnesum, Atticam, insulas iucundissimum, et arborum denso nemore laetum [x]). Prope est Ἑλλήνιον ἀκρωτήριον [y]). Alter collis, qui Troezenem et Calauriam spectat, nunc proprie Oros dicitur. At cetera insulae solo tenui [z]) atque ea

---

t) Eust. in D. P. 513. et Eudocia Violar. ap. Villois. I, 297.

u) Agathem. p. 195. Euboeae μῆκος σταδ. ͵αψʹ, ceteris CIↃCC usque ad CIↃCCCL. Icariae στ. τʹ, totidem Straboni XIV, p. 639. περίμετρον. Et ipse Cretae περίμετρον σταδ. δ,ρʹ, μῆκος β,τʹ dicit. Ita in ambitu modicus longitudinem nimis auget, male collatis, ut mihi videtur, scriptorum, quos secutus est (v. p. 189.), diversis rationibus.

v) V. Spon. p. 205. Wheler. 423. Stuart V. III. tb. 2. Sed maior fides deberi videtur descriptioni Gellii Angli Argol. tb. 28. ubi ambitus χωρὶς τοῦ κατακολπίσαι ducentorum et decem stadiorum est, spatium vero, quod complectitur, exacte computatum, stadiorum quadratorum 3164. w) Xenoph. Hell. V, 1, 11.

x) Paus. II, 30, 4. Spon. p. 206. Chandl. I, 4. p. 13. Foecundiorem collis conditionem significant Theagenis et Strabonis μάλιστα ἡ πεδιάς. Nam uterque iisdem verbis utitur.

y) Schol. Pind. N. V, 17. Nunc *Capo Turlos*.

z) Ψιλὴ πᾶσα, Str. VIII, 375., unde Eust. in D. P. 511. et Eudociae l. l. ὑψηλή ortum est. Spretis vero Avieni v. 679. et Nonni VIII, 362. auctoritatibus, quae Wheler. p. 423. scribit, ad Strabonis κριθοφόρος referimus. Cf. Chandl. l. l. Neque autem e nomine Οἰνοπίας, — quod inter Graecos solum ap. Pindarum Isthm. VII, 21., praeter eum ap. Ov. Met. VII, 472. 90. occurrit — neque e numo uvam repraesen-

sterilitate insignia, quae populum ad mare navibus tentandum adduceret, sed ita tamen, ut superne lapidosa, in gremio glebam pinguem et feracem celantia talem agricolae industriam excitarent, qualem Theagenes et Strabo fabulis popularibus de priscis insulae cultoribus formicinis significatam esse voluerunt a).

Irrigabat autem eam, si Pindarum (Nem. III, 3) ubi Musam imprecatur,

> ἵκεο Δωρίδα νᾶσον Αἴγιναν. ὕδατι γὰρ
> μένοντ' ἐπ' Ἀσωπίῳ μελιγαρύων τέκτονες
> κώμων νεανίαι, σέθεν ὄπα μαιόμενοι,

Didymus recte intellexit, rivulus quidam **Asopus**. Cui quamvis apud veteres Aristarchus, inter nostros Spanhemius (ad Call. in Del. 78.) opponantur, nihil tamen profecerunt. Quid enim, si Asopum in Aegina fuisse demonstrari potest? Certe enim ut Parii a Parrhasiis Arcadiae, unde Asopus Phliasius decurrit, oriundi Asopi nomen e patria sede repetierunt b): ita etiam Aeginae si rivulus erat, Asopum, si fons, ut Callistratus scribit, Asopida de fluvio Phliasio fuisse appellandum, mox erit perspicuum. Fuisse autem, tum Argonautarum in Aegina aquatio, tum recentiores, ut Chandlerus, affirmant.

---

tante, etiamsi Aegineticus esset, Rasche Lex. I, 112. plura de vinetis Aeginae, quam p. 237. usitato nummariorum errore ex arietis signo de lanae proventu extricare debebat. Quid quod Myconus ob egestatem famosissima in numis omnia foecunditatis insignia speciosa protulit. V. Athen. I, 7. Eckhel. D. N, II, 1, 333. Rasche III, 1, p. 977.

a) Theag. ap. Sch. in Nem. III, 21. ad Lyc. 175. Eust. in Il. A, 180. in D. P. 512. Eudocia l. l. — Addendus ob errores interpretum locus Ov. Met. VII. 622., ubi quercus patulis rarissima ramis γεράνδρυς est, quales mari Saronico querno olim nemore redimito nomen dederunt (Plin. T. I, 194. Hard. Spanhem. ad Call. in Iov. 52.) quae vastos ramos diffundens atque eo rariores exhibens speciem ilicis Dodonaeae prae senio hiantis refert.

b) V. Heracl. Pont. rep. *Παρίων*. Steph. Byz. s. v. — Str. VIII, 382. IX, 408. Paus. III, 5, 1.

Caput Primum.

Fabularum incunabula.

§. 1. De primis colonis.

Antiquissimos terrarum Graecarum incolas investigantem semper adhuc elusit fabula duplex, altera eas inde ex memoria hominum cultas ponens, (nam id significant Autochthones), altera Graeciam ante Deucalionis progeniem habitatam fuisse negans. Quae quanquam opinio etiam in nostra quaestione apud plerosque obtinuit: ambigi tamen poterit, utrum, qui in mythographorum sententiam pedarii currunt, Aeaci colonos iure primos Aeginetas statuant c); an potius Oenones nomen antiquius antiquiores etiam incolas flagitare concedendum sit d).

Quod nomen Strabonem VIII, p. 375. duobus Atticae pagis commune dicentem probe errasse, et quod de altero proverbium, Οἰνώνη τὴν χαράδραν e), et quem de altero versum recitat,

Οἰνώνης σύγχορτα ναίειν πεδία ταῖς τ' Ἐλευθεραῖς f)

qui utravis ratione dispositus Οἰνόης poscit, planissime demonstrant. Quae quidem intelligens Casaubonus g) correxit Οἰνόης, cuius nominis et Aeantidis prope Marathonem, et Hippothoontidis ad Eleutheras pagum agnoscunt veteres h):

---

c) Apollod. III, 12., *Αἰακῷ ὄντι μόνῳ ἐν τῇ νήσῳ.* Pausan. II, 29, 2. *ἐς ἔρημον κομίσαντος Διὸς τὴν Αἴγιναν.* Freret. ap. Clavier. Hist. p. 29.

d) Habent Pind. N. IV, 46. V, 16. VIII, 7. I. IV, 38. Herod. VIII, 46. Eurip. Iphig. Aul. 699. Scymn. Ch. v. 552. Apollod. III, 12, 6. Hygin. fb. 52. Str. VIII, 357. Pl. IV, 19. Paus. II, 5, 2. Steph. Byz. s. v. *Οἰνώνη*. Eust, in D. P. 512. et Il. B, 562. Tz. in Lyc. v. 175.

e) V. Zenob. V, 29. Suid. Prov. X, 82. Cf. Siebelis ad Demon. p. 19.

f) In quo ut sensus constet, aut est legendum *Οἰνόῃ σύγχ. ναίειν* etc. aut *Οἰνόης σύγχ. ναίειν πέδ. ταῖς Ἐλευθεραῖς.*

g) P. 164. Sequuntur eum Vinding. in Thes. Gron. XI, p. 238. et Tzschucke ad Strabon. T. III, p. 247.

h) Harpocr. Pollux. VIII, 9. etc. V. Meurs. de pop. Att. s. v. Wasse ad Thuc. II, 18. p. 110. Wessel. ad Herod. V, 74. et Diod. S. IV, 60. Corsini F. A. I, p. 241. Marx. in Ephor. p. 120.

verum qui corrigi possit versus, quo Strabo Oenones nomen etiam illis Atticae locis commune fuisse demonstrare voluerit, alius videat. Haud apte tamen Geographi patrocinium suscepit Ignarra de phratr. II, 6. p. 174. versus allati lege iam satis refutatus: et solertius certe Politus ad Eust. T. II, p. 604. loco nostro insertis duobus verbis: Οἰνώνη πάλαι καὶ Οἰνόη ὁμώνυμος δυσὶ δήμοις Ἀττικοῖς medicinam laturus erat. Hoc vero Aeginae nomen cum nusquam occurrat, cum locum Geographi, ut nunc est, iam legerit Eustathius (ad Il. B. p. 604.): Strabonem, quamvis idem VIII, 383. rei bene gnarus sit, erroris convincere, quam emendare satius habui.

Sed exstant coloniae illius antiquissimae vestigia nomine luculentiora. Mentionem Oenonae heroidis iniicit Eustathius [i]; Pythaenetique de ea locum, laudatum a Tzetza ad Lycophr. v. 175., exhibet Didymus in Schol. ad Pind. Nem. VI, 53. hunc:

Περὶ δὲ ταῦτα τούτων λεγομένων λέγεται Βουδίωνα διενηνεγμένον τυγχάνειν πρὸς Οἰνώνην τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα.

Quibus cum Pythaeneti fragmentum terminetur et mythographi Budionem taceant: nobis, ut origines istas historicorum eruamus, nisi quod Budionem dispicimus esse Pelasgum Atticae colonis cognatum, omnia, quibus opus est, desunt.

At enim Atticam omnia spectant. Locus in Aegina est Oea, insulae meditullium, vetusta religione sacrum et ipsa fortasse urbe antiquius. Sed vox manifeste ab Oea, Pandionidis pago, repetita est. Similiter Oenonae nomen ex ipso Οἰνόης nonnisi paulo auctiore ortum putamus [k], indidemque Οἰνόπων et Οἰνοπίας nomen, ut Hellopas ab Hellis, Deuropas a Deura urbe, deducimus. Quo quid an Οἴνωπες (Uniocul) faciant, qui inter tribus Cyzicenas [l]) antiquis quatuor Atheniensium Milesiorumque tribubus additi, (e pristinis puto Cyzicenae incolis, Dolionibus atque Tyrrhenis,) memorantur, ignoro. Budidae denique, quorum Didymus iniicit mentionem, Butadas, Τελεόντων gentem Oeneidisque tribus pagum [m]), quorum dea Minerva Βούδεια dicitur, in memoriam revocant.

---

i) Quam male cum Alexandri Troiani amoribus confundit Sturz. ad Hellan. p. 97.

k) Ceterum nomen idem vetus Sicini insulae, Apollon. Rh. I. 623., arcique Corinthiorum, Thuc. IV, 42., vico Argolidis et nymphae Arcadicae commune, Paus. I, 33, 7. II, 25, 2. VIII, 47. 2. atque per Iones etiam in Icariam insulam (Strab. XIV, 639.) tralatum.

l) V. Caylus in Rec. d'Ant. T. II. tb. 62.

m) V. Ignarra de phratr. I, c. 4. p. 26., imprimis Boeckh. Procem. lect. Univ. Berol. aestiv. a. 1812. p. 7.

Sed Budionem ut Pelasgum fuisse autumem, nam id, quod ostendatur, reliquum est, persuadet mihi tum tempus coloniae extra saecula fabularum Hellenicarum positum, tum origo ex Attica, Κρανααῶν Πελασγῶν vetusta sede [n]). Ex altera vero parte Aeginae finitima est Argolis, unde Dionysii Halicarnassei sectatores omnes provenisse Pelasgos arbitrantur. Et hic certe a Pelasgo Cererem exceptam esse, fabula est; haec regio in primis Pelasgia appellata esse traditur [o]).

Cuius populi ut veriorem assequamur cognitionem, nunquam fore confido, nisi Dionysii Halicarnassei commentis spretis Herodoti maxime et Thucydidis, quorum neuter tempus, quo omnis Graecia Pelasgia dicebatur, ignorabat, vestigia diligentissime premimus. Nam abstulerunt quidem tenebrarum magnam partem Tyrrheni a priscis Pelasgis viri ἱστορικωτάτου ingenio disiuncti: sed non minores animis offudit error alius, qui haud paucos obsedit. Coepit enim iam apud veteres opinio vulgari, eam stirpem, quae totam Graeciam primitus uno nomine incoluerat, in eas regiones, ubi vestigia reliquerat, migrationibus devenisse. Itaque eundem populum, qui Herodoto auctore *ex avita sede nunquam excessit*, Lelegum instar et Carum *multivagum* fuisse Ephorus aliique dictitarunt; eumque, cum ab Hellenibus e Thessalia pelleretur, variis casibus iactatum Spinam, Cortonam, in Tyrrheniam denique pervenisse, iam narraverat Hellanicus [p]): et hinc quidem evenit, ut magna illa lis, utrum Pelasgi ex Arcadia an e Thessalia coloni venerint, viris doctis exoriretur. Permirum tamen, eos qui Pelasgos uno ore gentem vagatricem, imo ubicunque peregrinam et mercatoriam clamitant, eo non offendi, quod eosdem Athenienses, Arcades, Samothraces, qui apud Herodotum Strabonemque Pelasgi dicuntur, communis Graecorum fama Aborigines perhibuerit. Qui Pelasgi, cum stirps Doriensis de montibus Thessaliae descendens Peloponneso potiretur, iamdudum ab Achaeis victi et subiecti, Doriensium ingenium immutare non potuerunt: Iones contra, Ὅπλητες illi, qui Atticam sibi vectigalem fecerunt, tum haud dubie Doriensium indoli simillimi, dum in terram sacerdotali adhuc Pelasgorum gente cultam irrumpunt, horum ad mores sacrosque ritus sensim deflectunt: hinc ab Herodoto illi tantum Hellenes, Iones Pelasgi dicuntur: at ceterae omnes Graeciae gentes varie cum

---

n) V. praeter Herod. I, 56. VIII, 44. Scymn. Ch. v. 560.

o) Eurip. Orest. 931. Id. Archelao ap. Strab. V, p. 220. et Eust. in Il. B. p. 682.

p) V. Herod. I, 56. — Hellanic. ap. Dion. Hal. I, 17. 28. Ephorus ap. Strab. V, 220. Idem XII, p. 922. Diod. S. V, 80.

Pelasgis mixtae, cum Graeci nationem suam in stirpes distribuere coepissent, vago et incerto Αἰολέων nomine comprehensae esse videntur. Quae, ut iis infra niteremur, hic praemisimus.

§. 2. Aegina.

Aeginam igitur si antiquitus a natione Pelasga cultam statuimus, quando primum Hellenes immigraverint, inquirendum est. Et obvia est fabula, iam ab Hesiodo decantata, Aeginam Asopi filiam a Jove aquila Phliunte raptam et in Oenonen insulam delatam esse q). In qua Alexandrinorum maxime tempore, mythos ab origine diversissimos in unum systema colligentium, varie adulterata quis tamen aliud quid, quam historiae primas origines, latere suspicabitur?

Nam memorabilem cum Phliunte Achaica r) coniunctionem in utriusque urbis communi fabula exstitisse, arguunt in primis signa Jovis et Aeginae a Phliasiis Olympiae et Delphis dedicata. Vidit Pausanias s): idem insignem Phliasiorum de urbe sua Peloponnesi totius umbilico opinionem retulit, ortam tum e sanctitate loci, et sacris Celearum vicinarum et religione Diae deae incliti, tum e vetustate urbis, praesertim si fabulis popularibus de Arante Autochthone fidem haud denegas, Peloponnesi antiquissimae t).

Hinc autem Asopum patrem Aeginae apparet fluvium esse Sicyonium Phliuntis moenia praeterfluentem u). Quanquam eundem honorem Thebani apud Pausaniam suo Asopo vindicare studuerunt et plerosque in partes suas traxerunt v). Unde ea prodiit in fabulis Graecorum Asopi Phli-

---

q) Leves fabulatorum dissensus referre piget. Cf. igitur Spanhem. in Call. p. 434. Ern. Heyne in Apollod. III, 12, 6. p. 304. sq. Sturz. in Hellanic. p. 50. in Pherecyd. p. 178. Adde, quos omiserunt, Plat. Alcib. pr. p. 121. b. c. Schol. Athen. deipn. XIII, 2. p. 566. Schol. Apoll. Rh. I, 117. Tzetz. in Lyc. v. 137.

r) Aliam Eleam, aliam Argolicam, utramque e Plin. H. N. IV, 5. Ptolem. III, 16., enumerat Larcher. ad Herod. T. VIII, p. 447. male tamen errans, dum ap. Herod. IX, 28. Phliasios ex Argolide significatos vult. Cf. VII, 202.

s) Perieg. V, 22, 5. X, 13, 3. De Phliunte patria Aeginae consentiunt Diod. S. IV, 72. Paus. II, 5, 1. Sch. Pind. N. III, 44. IV, 36. Tzetz. in Lyc. l. l. Add. Himer. Or. 18, 2. p. 706. Wernsd.

t) Paus. II, 12, 4. 14, 3. cf. Vinding Hell. p. 57. Distabat Phlius nova stadiis aliquot a vetere Arantia sive Araethyrea. Nunc ibidem vicus est Araniza: exemplo quanta sit nominibus diuturnitas.

u) V. Pind. N. IX, 9. Aristarch. ad N. III, 1. Str. VIII, p. 402. Paus. II, 5, 2.

v) Schol. ad P. N. l. l. ad Call. in Del. 78. Spanhem. in eund.

asii et Boeotii permutatio, ut non solum Diodorus (IV, 27.) patrem Thebes, Tanagrae, Thespiae, Pirenes eundem ac Cleonae et Nemeae patrem censuerit: sed etiam Thebes et Aeginae necessitudo iam Olympiade sexagesima septima Apollinis Delphici (ap. Herod. V, 81.) responso significari, post pluribus a Pindaro, cui (Isthm. VII, 18.) illae

δίδυμαι θύγατρες Ἀσωπίδων θ' ὁπλόταται

dicuntur, cantari posset.

Tum insula, quae antea Oenone, nunc primum Aegina appellari coepta esse dicitur[w]). De quo nomine cogitanti (ipsi enim argumenti aliquid inesse nomina cognata docent)[x]), occursat memorandus Pausaniae (II, 13, 4.) locus: „*Jacere Phliuntis in foro capram aeneam, magna ex parte inauratam. Cui eam ob causam honorem esse a Phliasiis habitum, ne coelestis capra sidus, ut assolet, vinetis noceat. Quapropter illam cum aliis affici honoribus tum auro esse exornatam.*" Ei vero signo cum occultiorem quandam significationem inesse perspicuum sit: utrum ad religiones Bacchi, qui Phliantis pater est, an ad Aesculapium Aeginae pariter ac Phliunte cultum[y]) trahas, dubitabis, nisi potius caprae Deorum maximorum nutricis memor, Ganymedam Diamve almam Phliasiorum, cuius nullum aliud in ea urbe signum erat[z]), hac imagine homines priscos esse veneratos, mihi largiris[a]).

---

p. 435. Hellanicus si in Asopide de Aeaci genere locutus erat, vix probem, quae Sturz. p. 50. coniecit, Asopidem partem fuisse τῶν Βοιωτιακῶν.

w) Scymn. Ch. 552. Diod. S. IV, 72. Ov. Met. VII, 474. Paus. II, 5. Steph. Byz. s. v. Οἰνώνη. Eust. ad Il. B, 562. Tz. ad Lyc. l. l. Cf. Hygin. f. 155. et Lact. Plac. Narr. 26., quem erroris arguit mss. consensus.

x) Αἴγιον, Str. VII, 387. Αἴγειρα Paus. VIII, 26. Αἰγίλιψ Steph. s. v. Aegaeum mare Festus. V. Salmas. Exc. Plinian. p. 95. c.

y) V. Apollon. Rh. I, 115. Paus. II, 12, 6. 13, 3. 30, 2.

z) Paus. II, 13, 3. Strab. VIII, p. 382. Schol. Apoll. Rh. 115. sqq. Memorabile Diae Sicyoniorum et Phliasiorum nomen in Fratrum Arvalium Dea Dia recurrens. V. Marini Atti T. I. p. 10. Plura Clavierus (Apollod. II, 23.) ad Pausaniam promisit.

a) Male igitur Godofr. Hermannus de myth. Graec. ant. p. 23. Αἴγιναν Quassatricem vertit; et rectius quidem Kannius in Pantheo p. 387. insulam Caprariam dixit: sed utriusque opiniones non est quod refellamus.

Admodum obscurus locus Schol. Apoll. Rh. II, 953. ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς Ἄρεος καὶ Αἰγίνης γενεαλογεῖσθαι Σινώπην, memorabilis tamen. Exscripsit Eudocia Violar. p. 375. Ceteri, Aristoteles et Eumelus in iisdem Scholiis et Diod. V, 72. Aeginam Sinopes dicunt sororem. —

§. 3. Actor.

Ζεὺς δὲ Αἴγιναν εἰσκομίσας εἰς τὴν τοτε Οἰνώνην λεγομένην νῆσον, νῦν δὲ Αἴγιναν ἀπ᾽ ἐκείνης κληθεῖσαν, μίγνυται καὶ τεκνοῖ παῖδα ἐξ αὐτῆς Αἰακόν c).

Ita breviter Apollodorus. Ubi nos quidem, qui omnino iis accenseri nolumus, quibus Aeacus rex et Aegina sacerdos esse videtur, deo patre non magnopere irritamur. Attamen non spernendus est Pindarus, locuples auctor, *Aeginam Asopidem ab Actore in matrimonium ductam esse, atque ex ipso Menoetium, Patroli patrem, peperisse*, et qui, dum Menoetium Pelei fratrem dicit, eadem fere innuit, Hesiodus d). Sed hinc etiam Aeacum perspicitur ex Actore genitum, Jovi adoptatum esse: unde Aeacidarum fabulas apparebit veram et genuinam lucrari lucem. Cur enim Menoetius Opunte exul ad Peleum Aeaci confugit, nisi quia Aeaco mortuo Actoridarum gentis Peleus erat princeps? cur Achilles Patroclo in tutelam ac praesidium est traditus, nisi ipsi, avunculo suo, foedere sanguinis coniunctissimus erat? cur Aiacem Telamoniadam tanto studio Hectorem a Protesilai nave arcere arbitremur, nisi quod Deionidae navis ipsi erat defendenda? et quae Ulyssi cum Aiace de armis Achilleis controversia hereditaria oriri potuisset, nisi Ulysses et Aiax, mortuis Achille, Patroclo, Protesilao praeter ignobiliores Teucrum, Podarcem, Meneptolemum, Epeum e stirpe Deionis soli superstites erant?

Jam novas turbas cient Actores. Etenim Actorem nostrum, Deionis filium, Aeaci atque Menoetii patrem, mythographi distingui volunt ab Actore alio Phthiota e). Et distinguant, (nam distinguit Apollodorus I, 7, 3. 9, 4.), qui Alexandrinorum stemmata magnopere curant: iis vero, quibus propositum est, ut fabulas populorum genuinas a mythographorum, qui ex se ipsis refutandi sunt, commentis vindicent, alia exsistit quaestio. Nimirum ea, utrum, qui in fabulis Opuntiis Actor Deionis, in

---

c) V. Hom. Il. Φ, 189. Hesiod. in Schol. ad N. III, 1. Pind. Isthm. VII, 21 Eurip. Iph. Aul. v. 699. Quem respexisse videtur Nonn. XIII, 214. Cf. Tz. Chil. VII, 133. Aristot. Rhet. III, 17. p. 391. *ἔλεγε Γοργίας ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος. εἰ γὰρ Ἀχιλλέα λέγει, Πηλέα ἐπαινεῖ, εἶτα Αἰακόν, εἶτα τὴν θεόν.* Quo revoco e codd. Victorii *τὸν θεόν*.

d) Hesiod. ap. Eust. in Il. A, 337. Pind. O. IX, 74. Schol. ad Il. Σ, 10. Cf. Van Staveren ad Hygin. p. 42. n. 5.

e) Confuderunt eos Schol. in Ap. Rh. I, v. 71. Eust. ad Il. A, 113. Palmer ad Diod. S. IV, 72. Meziriac. ad Ovid. T. I, 40. Heyne ad Apoll. p. 100. 144. ed. pr. Distinguunt Idem p. 786. ed. sec. Clavier. ad Apoll. II, p. 157. 451. sq. Sed idem in Hist. I, p. 263. in aliam sententiam deflectit. Cf. Sturz. ad Hellan. fr. 99.

Thessalicis Myrmidonis filius audit, heros sit utrique populo proprius et diversus, an communis et idem [f]).

Distinxit primum Heynius ita, ut alium diceret Actorem Deionis filium, Opuntium quem vocant, eundemque ex Aegina Menoetii patrem, alium Actorem Phthiotam. Hunc tamen si cum Apollodoro Pisidicae et Myrmidonis filium, si Myrmidonem cum Eratosthene e Jove et Eurymedusa prognatum dicit: nomina nobis et verba dat [g]), et nihilosecius apparet, eum Actorem, quem Myrmidonis nomen cum Myrmidonum stirpe arte coniungit, manifeste ipsum esse populi Aeginetarum Myrmidonici conditorem, id est Menoetii atque Aeaci patrem. Quibus si addis, ad Eurytum eiusdem Actoris filium [h]), in Phthiam confugere Peleum, filium Aeaci, atque fratris caede lustratum illius socerum atque heredem constitui, facile intelligitur, eundem Actorem Euryti huius fratrem atque Pelei esse avum, maxime cum mos fuerit antiquitatis sceleribus expiandis propinquorum opem expetendi.

Diversam viam ingressus Clavierus Actorem, qui Aeginam in matrimonium duxerit, non Opuntium, qui Menoetii pater est, sed Phthiotam, qui Myrmidonis filius dicitur, fuisse arbitratur, et huic sententiae unum subsidium affert Actoris Phthiotae, quem Diodorus Euryti, filii eius, loco ponit, cum Peleum heredem constitueret, orbitatem huius scriptoris testimonio (IV, 72) comprobatam. At eam orbitatem ceterarum omnium fabularum consensui adversari facile esset demonstratu. *Sed qua ratione*, interrogat ille, *nisi Actor Phthiota orbus fuisset, unquam hominem a genere suo alienum heredem constituere, qui fieri potuisset, ut Patroclus de Achille, si is sibi hereditatem patriam iniuria praeripuisset, non gravaretur?* Nimirum e iure heroum Peleus, Aeaci filius natu maximus et iam omnium Actoridarum princeps [i]), iustus fuit Actoris avi

---

f) Sequentia magis perspicua erunt collatis stemmatis Heynianis ad Apollod. Tb. 8, b. c. et 17.

g) Jam Hellanicus p. 70 Sturz. Erysichthonem, quem alii Triopae dicunt, Myrmidonis filium nuncupat, et Hyscillam Myrmidonis filiam, Triopae coniugem, novit Hygin. Poet. Astr. II, 14; sed nostra primus protulisse videtur Eratosth. ap. Servium ad Aen. II, 7., iam emendatum e Clemente Protr. p. 34. Pott.: et Apollonio Rh. I, 115. *Μυρμιδόνος κούρη* est Phthias.

h) Vel, ut alii, ad Actorem ipsum. V. Verheyk in Antonin. Lib. c. 38. p. 256. Sturz. ad Pherecyd. p. 85. — *Εὔρυτος* et *Εὐρυτίων*; de quarum formarum (adde *Ὄρυτος* Scymn. 486. et *Ὀρυτίων* Paus. II, 4, 3. *Ἄστερος* et *Ἀστερίων* Sch. in Apoll. Rh. I, 176.) variante usu et patronymicis, quae inde deducuntur, *Μολιονίδης*, *Δευκαλίδης*, abunde Hemsterh. ad Arist. Plutum v. 627. p. 207.

i) Hinc Achilles Patroclo *γενεῇ ὑπέρτερος* Il. *Λ*, 785.

sui heres, Menoetium autem filium minorem fas erat e regno patrio excedere et novas sibi quaerere sedes. Quibus tamen omnibus libenter concesserim in Iliadis carminibus nebulam quandam offusam esse et caliginem: fabulas enim Homerus novit, interiorem earum connexum ignorat. Pindarus vero in Epharmosto celebrando fabularum Opuntiis popularium (institutionis lyricae puto haud exiguae partis,) verissimus auctor, si (Ol. IX, 75.) Menoetium Aeginae filium fuisse et primum ex Actoridis Opuntem delatum esse tradit: Clavieri rationes, quas nullo favente scriptore construxit, omnes concidunt. Et iam quisque perspicit, genuinam et antiquissimam fabulam Actorem Phthiotam, Opuntium, Aeginetam non distinguere [k]).

Ad Phthiam igitur intelligimus gentis Aeginaeae originem spectare: Myrmidonum Phthiotarum coloniam apparet antiquitus esse in Aegina constitutam: quam in ea insula consentaneum est cum colonis Phliasiis confluxisse. Quos utrosque fabula Aeaci nomine complectitur.

§. 4. Myrmidones.

Τούτῳ Ζεὺς ὄντι μόνῳ ἐν τῇ νήσῳ τοὺς μύρμηκας ἀνθρώπους ἐποίησε [l]).

Fabulam istam Hesiodeam, quam iam a Strabone refutatam existimat Ruhnkenius, quam levissimam increpat una uterque Apollodori editor [m]), non est, quod tueamur. Verum etiam in Strabone, qui Theagenem secutus ex Aeginetarum priscorum agricultura victuve troglodytico Myrmidonum nomen deducit [n]), commenti levitas

---

k) De ceteris Actoribus v. Heyne ad Apoll, III, 13, 1. p. 310. sq. Clavier T. II, 128. 157. 307.

l) Apoll. l. l. Pluribus eadem *Hesiodi* ex heroic. geneal. *fragmentum* ap. Gaisford. I, p. 184., de quo v. Ruhnken. Epist. Crit. p. 110. qui tamen non observavit, versum alterum desumptum esse ex Il. *Δ*, 225. et totum ad verba expressisse Tzetz. in Chil. VII, 133. Adde Lycophr. Cass. 176. Hyg. f. 52. Ov. Met. VII, 523. sq. Nonn. XIII, 206. sq. Sch. ad Il. A, 150. ad Pind. N. III, 22.

m) Heyne p. 306. Clavier 451. Ille formae Doriensis *Μυρμηδών* oblitus videtur. (*Μύρμηκες, πέτραι* Lyc. Cass. 878. Myrmeces scopuli Plin. H. N. V, 29 Myrmex scopulus prope Sciathum Her. VII, 183. V, p. 4. s.) Spectat huc fama de Aeginetarum Autochthonia ap. Harpocr. v. *Αὐτοχθ.* Suid. *Ἀθηναίων*.

n) VIII, 375. Cf. Eust. in Il. A, 180. in D. P. 511. Theagenis fragmentum exhibet luculentius Schol. in Pind. N. III, 21. brevius Tzetz. in Lyc 176 idemque in Chil. VII, 133. qui quae ultimo loco addit (*τῶν πειρατῶν δὲ καὶ λοιπῶν πτοούμενοι τὰς βίας Σπηλαίοις ὥσπερ μύρμηκες ἐκρύπτοντο γῆς κάτω*) spectant ad Cresphygeta, de quibus Hesych. Phot. Suid. et Gloss. Herod. s. v. Cf. Serv. ad Aen. IV, 402.

agnoscenda est. Jam ad Hellanici Myrmidonem refugere possemus, nisi etiam huius sententiam magis repellendam quam refellendam censeremus [o]). Relinquitur igitur id, ut controversia de nomine sublata, qui sint Myrmidones in fabulis, qui in historiis, attente spectemus.

Sunt vero, quos Homerus et Hesiodus Myrmidones dicunt, gentium Thessalarum una [p]), quae Achilli atque Patroclo paret [q]), eaque in Troicis, circa quae omnes fabulae Graecorum vertuntur, primarum partium actrix. Quam si Heynio (ad Apoll. III, 12, 6.) „*ad genus Pelasgicum pertinere probabile fit:*" haec certe somniculosius scripsit nec sibi ipse consentit. Etenim si Pelasgos putavit, quia Phthiotis Pelasgiotidi confinis est, tunc certe etiam Achaeos, Dorienses, omnes Graecos Pelasgos censere debebat. Sed iam palmaris ille in Catalogo (Il. B', 683.) Achillis copiarum recensus:

> οἵ τ' εἶχον Φθίην ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα
> Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί [r])

cui accedit alter de Myrmidone quodam, ὃς Ἑλλάδι οἰκία ναίων

> ὄλβῳ τε πλούτῳ τε μετέπρεπε Μυρμιδόνεσσι [s]).

Quibus si addideris, Helladis nomen in Iliade certe nunquam usurpari nisi de Achillis sede regnoque [t]), apparet, ut

---

o) Adoptavit Apollodorus utramque et de formicis et de Myrmidone sententiam (I, 7, 3. III, 12, 7): haec placet Claviero T. II, p. 95. 451. Adde ad supra laudata Arnob. a. G. IV, p. 145. Isidor. Origg. IX, 2. Tzetz. in Lyc. 175. Lutat. ad Stat. Theb. VII, 310. Eust. ad Il. B, p. 684. Sch. Pind. N. VII, 95.

p) Ad Steph. Byz. s. v. *Μυρμιδονία* cf. Graev. lect. Hesiod. p. 159. Scut. Herc. v. 380. *πᾶσα δὲ Μυρμιδόνων τε πόλις κλειτή τ' Ἰαωλκός*, quod recurrit v. 474. *Μυρμιδόνων ἄστυ* Od. *Δ*, 9. fortasse idem, quod Hellas. Et totam Thessaliam Myrmidonum civitatem vocitatam esse scribit Vellei. I, 3, 2. add. Philostr. Her. p. 686. Mor.

q) Haud male Strabo IX, p. 433. *Μυρμιδόνας εἰκὸς καλεῖσθαι πάντας τοὺς ὑπὸ τῷ Ἀχιλλεῖ καὶ τῷ Πατρόκλῳ* (Il. *Σ*, 10.) *οἳ συνηκολούθησαν ἐξ Αἰγίνης φεύγοντι τῷ Πηλεῖ.* Cf. Il. *Φ*, 188 Od. *Δ*, 9.

r) *Διπλῇ (πρὸς τὰς τῶν παλαιῶν ἱστορίας)*, non *ὀβελῷ*, notaverunt hunc versum veteres critici, *ὅτι μόνους τοὺς ὑπ' Ἀχιλλεῖ τεταγμένους Ἕλληνας καλεῖ* et ita opposuerunt *ἀθετουμένῳ* v. 37. Catal. *ἐγχείῃ δ' ἐκέκ. Πανελλ. κ. Ἀ.*

s) Il. *Π.* 595. Cf. Heyne T. IV, p. 365. Quid quod Pindarus O. VIII, 40. Myrmidones Doriensibus annumerare videtur; quanquam idem N. III, 13. aperte distinguit.

t) Hellas regio est Phthiae finitima, utraque Achilli subiecta in Il. I, 395. 447. 474. Od. *Δ*, 495. Nomini iam maior splendor accessit in Od. *Δ*, 726. 816. O, 80. ubi fere est Thessalia. Cf. Heyne Il. I, p. 363. Phthiam Helladis *ἐπώνυμον* haud male Aphthon. Progymn. p. 28. Port.

Aeacidas omnium Graecorum heroum principes, ita Myrmidones eos esse, quibus Hellenum nomen patrium atque avitum inde ad ceteras gentes, quae adsciverunt, transierit. Ac consentiunt, puto, de his viri docti vel omnes, et docuit eadem iam inter criticos historiarum princeps, Thucydides I, 3. qui praeclare: Ὅμηρος, dicit, Ἕλληνας οὐδαμοῦ τοὺς ξύμπαντας ὠνόμασεν, οὐδ' ἄλλους ἢ τοὺς μετ' Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτιδος, οἵπερ καὶ πρῶτοι Ἕλληνες ἦσαν.

Hinc si ad historias descendimus, Myrmidonum nomen ubicunque quaesitum nusquam, ne in eo quidem foedere, quod omnes nationes Thessalas Hellenici nominis complectebatur, reperietur. Quocirca, nisi forte fuisse Myrmidones plane infitiaris, iam, quo gens olim clarissima dilapsa sit, investigare consentaneum videtur, si omnino Thessaliam eam Graeciae partem fuisse concedis, quae dum inter Lapitharum bellum, Doriensium migrationes, Boeotorumque eiectionem rerum commutatione gravissima laborabat, nomina gentium haud raro aboleri et oriri videret. Late olim patuit nomen Achaeorum [u]), sub tempora Troica inter Graecos potentissimum: et Achaeis etiam Myrmidones annumerari, quanquam Homerus alibi distinguere videtur [v]), eiusdem versus iam laudatus haud ambigue prodit. Pars Achaeorum Phthii [w]). At Phthii quoque non Achillis solum Myrmidones, sed etiam Medontis sive Philoctetae, Podarcis et Protesilai copias Methonaeas atque Phylacenses complectuntur [x]). Atque ut Phthiotas ab Homeri Phthiis aeque ac Thessaliotas a Thessalis differre, et Achaeos Phthiotas easdem, quas olim Myrmidones, regiones tenuisse dicamus: sedem tamen magis Myrmidonum, quam gentem, ea nobis ratione constituisse videmur. Quapropter duorum maxime populorum necessitudo spectanda erit.

Alteram gentem dico Dolopum, antiquitus foederis Amphictyonici sociam et ad Augustum usque florentem [y]), unam certe ex illis, quarum accessione Herodotus (I, 58.) verissime dicit gentem Hellenicam magnopere auctam esse. Coluit vicina Phthiae, si audis Homerum [z]): geographi inter

---

u) Per omnem olim, ut videtur, inter Apidanum, Peneum, Othrym, Oetam et mare regionem. V. Herod. VII, 196. Str. IX, 662. Diod. XVIII, 11. Aliter sentit Mannert. Geogr. VII, 540. 598.

v) Il. *II*, 564., *καὶ Μυρμιδόνες καὶ Ἀχαιοί.*

w) *Ἀχαιοὶ Φθιῶται, Φθιωτικοί* Scylax p. 24. Scymn. 604. Tittmann. de foed. Amphictyon. p. 42.

x) V. Strab. IX, p. 431. 2. cf. Dicaearch. II, p. 21. Huds.

y) Tittmann. l. l. p. 39. Male Heyne ad Apollod. III, 13, 8. p. 317. z) Il. I, 480.

inter Acarnaniam, Aetoliam, Pindum atque Perrhaebos locant [a]): sed gentem, quae Scyrum habitaverit, olim maritima tenuisse, necesse est [b]). Est vero Lycomedes, insulae huius rex, Achillis Pyrrhique Myrmidonum necessarius; ipse Peleus Dolopibus Phthiae, manifeste Myrmidonibus, imperitat [c]), atque ab eodem Peleo Phoenix Dolopum dux et princeps constituitur [d]). Affinitatis gentium non infirma, puto, argumenta. Sed maxima offert Virgilius. Nam huic Dolopes Myrmidonesque unius gentis nomen sunt. [e]) Quod non ita fecisset poeta doctus, nisi disquisitiones historicae, Myrmidones et Dolopes eiusdem fuisse stirpis, docuissent.

De altero populo, Aenianibus, locum praepono Scymni Chii v. 613.

Τῇ Θετταλίᾳ δ' ἐσθ' ὅμορος ἡ Ἀθαμανία
Δόλοπές τε Περραιβοί τε συνορίζοντ' ἔθνη,
Τά τ' Αἰνιάνων, οἵτινες τῶν Αἱμόνων
Δοκοῦσι Λαπιθῶν Μυρμιδόνων τε γεγονέναι.

Ad quem omnium maxime apposita haec sunt Heliodori (B, λδ. Cor.) Οἱ Αἰνιᾶνες Θεσσαλικῆς ἐστι μοίρας τὸ εὐγενέστατον καὶ ἀκριβῶς Ἑλληνικὸν ἀφ' Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος [f]). Gens ea Dolopibus coniunctissima [g]), quam Guneus cum Perrhaebis Troiam ducit [h]), ab origine in Dotio mediae Achaiae campo, in eodem, unde Hellenem oriundum dicit Diodorus [i]), sedes habuisse traditur; hinc eam narrant a Lapithis expulsam et diuturna vagatione exagitatam Aethiciam, Molossidem, Cirrhaeam, denique Phemio duce ab Achaeis Inachiis regiones circa Inachum

a) Str. I, 28. IX, 434. Scymn. 614. Dicaearch 62.

b) V. Diod. XI, 60. Schol. Il. I, 664. Nam et ego probo illorum sententiam qui Ctimenen, urbem Dolopiam, (Apollon. Rh. I, 67.) ad Xyniadem paludem, eandem ac Boebeidem, sitam dixerunt, de quibus Mannert. p. 614.

c) Argonaut. Orphica v. 132. Strab. IX. 434.

d) Il. I, 480. Pindar. ap. Strab. (Plethonis Exc. ap. Bredow. Epist. Paris. p. 97.)

e) Aen. II, 7. 29. 414. 785.

f) Cf. Wasse ad Thuc. V, 51. p. 349. Larcher. Her. T. VIII, p. 16. Coraes ad Heliod. T. II, p. 107.

g) Thuc. V, 51. Diod. XVIII, p. 595.

h) Il. B, 749.

i) Diod. V, p. 229. Pars erat campi Pelasgici, Scylax IX, 674. (ἀκρωτήριον Ὀλύμπου Tz. ad. Lyc. 73) et fortasse antiquissimae Amphictyoniae centrum. Certe Stephanus Byz. Dotium Amphictyones filium dicit. Hacc fere regio est Homeri Hellas.

fluvium obtinuisse [k]). Quae magnopere fallor nisi cum fabulis de Neoptolemo, qui ut quidam narrant mari, ut alii terra [l]) (et tum certe per Aethiciam) in Molossidem delatus hinc Delphos concessit et ibi diem obiit, mirum in modum concinunt.

§. 5. Panhellenium.

Ex quibus in aprico positis lux fortasse ad aliam fabularum Aegineticarum partem redundabit.

Graeciam universam summa frugum inopia devastante, quam Pelopis diis invisi in Stymphalum Arcadem facinora adduxissent, Aeacum tradunt ab Apolline Delphico designatum esse, cuius apud Jovem patrem auctoritas Graeciam calamitate exsolvere posset [m]): hinc ab omnibus Graecis, qui cum Aeaco dei iram placarent, in Aeginam esse missos; nec non nisi ab Athenis, quibus poena Androgei interemti sanguine luenda fuerit, Jovis exsecrationem Aeaci lapide manali averruncari potuisse [n]): quorum in gratiam universos Graecos Jovis Panhellenii templum condidisse, *ἱερὸν ἐν Αἰγίνῃ*. ut Isocrates ait, *καταστήσασθαι κοινὸν τῶν Ἑλλήνων, οὗπερ Αἰακὸς ἐποιήσατο τὴν εὐχήν* [o]).

Quae circumspicientem fugere non poterit, Panhellenii nomen, si quid fabulae veri inest, necesse esse, tum primum, cum Graeci uno nomine Hellenes appellari coepissent, antiquiori cuidam substitutum esse. Quod si nomen tollitur, quivis perspicit, omnem fabulae fidem infringi et aboleri, nec quidquam praeter vanum commentum

---

k) Ea praeter Strabonem I, p. 105. IX, 427. 442. (Exc. Plethon. p. 97. Bred. l. l.) docet Plutarchus Quaest. Graec. 13. 26. p. 205. 217. Wytt. Quae latuerunt Mannertum. Quem v. VII. p. 628. et Beckium in Introd. ad Hist. (a. 1813.) p. 841. 846. Heyne ad Il. T. IV, p. 389. et hos Pelasgos putat.

l) Ita Apollodor. ap. Tzetz. ad. Lyc. 902.

m) Fuse haec persequitur idemque primus in laudem Evagorae Aeacidae Isocr. c. 5. p. 308. L. *Ἦλθον οἱ προεστῶτες τῶν πόλεων ἱκετεύοντες, αὐτὸν νομίζοντες διὰ τῆς εὐγενείας καὶ τῆς εὐσεβείας τῆς ἐκείνου τάχιστ᾽ ἂν εὑρέσθαι παρὰ τῶν θεῶν τῶν παρόντων κακῶν ἀπαλλαγήν.* Eadem fere Apollod. III, 12, 11. Paus. I, 44. II, 29. Diod. IV, 61. Schol. in P. Nem. V, 17. Clem. Alex. Strom. VI, p. 753. corr. a Larchero Herod. T. V, 483. Eudoc. Violar. p. 17. — Aristid. ad Achill. 42. *Αἰακός, εἰς ὃν ποτε ἦλθε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα.*

n) Diod. IV, 61. Wess. ad l. Hygin. f. 41. Plut. V. Thes. c. 8. Schol. ad Arist. *Ἱππ.* 1250. Marm. Parium rem ep. 20. l. 33. anno MXXXI. a. C. 1299. apponit.

o) Eadem de Aristaeo Ceo Diodorus IV, 82. *Λοιμοῦ τὴν Ἑλλάδα κατασχόντος ποιήσασθαι τὴν θυσίαν ὑπὲρ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων.*

relinqui. Attamen an forte contrarium quid, ut nomini vetustissimo sensus substitueretur multo recentior, evenerit, videndum est.

Hellenes enim ut compertum habemus ab Homero ubique cum Myrmidonibus coniungi: ita Panhellenum nomen ab Homero et Hesiodo ultra Thessaliae fines efferri, neque antiquiori neque recentiori cuiquam concedemus p). Ab origine autem Panhellenium Jovisque Panhellenii sacra ab Hellenibus eodem consilio, quo ab Ionibus Panionium, a Boeotis Pamboeotia, ab Atheniensibus Panathenaea instituta esse, quisque mihi facile largietur. Qui vero, iam interrogo, Hellenes isti sunt, nisi ipsi nostri Myrmidones, primi omnium Hellenes dicti? Et colligitur, Panhellenium fanum et sacrum a Myrmidonibus Aeginae colonis in memoriam pristinae sedis atque generis Jovi deo patrio esse constitutum.

Quid vero, si ipse Pindarus fabulae illius omnino ignarus, eiusdem, quam nos protulimus, sententiae auctor atque testis, ex his tantum intelligi potest, dum Aeginam cantat (Nem. V. 9.)

τάν ποτ' εὔανδρόν τε καὶ ναυσικλυτάν
θέσσαντο πὰρ βωμὸν πατέρος Ἑλλανίου
στάντες πίτναν τ' εἰς αἰθέρα χεῖρες ἁμᾶ
Ἐνδαΐδος ἀρίγνωτες υἱοὶ καὶ βία Φώκου κρέοντος,

Aeacidasque non pro Graeciae, non Atticae, non Thessaliae, sed pro ipsorum stirpis salute Iovem Hellenium precatos innuit. Et fortasse Hellenii nomen, quo Pindarus utitur et Aristophanes loco alibi laudando, antiquius, Panhellenii recentius erat. Iam enim intercesserat pugna Salaminia. Proelio imminente socius Graecorum ex Aegina arcessitur Aeacus, finito universa victorum classis Aeginam concedit. Hinc factum, ut fabulâ illâ, quam primus novit Isocrates, ortâ ipsorum legatorum signa, quae Pausanias (II, 29. 6.) viderat, ab Aeginetis in introitu Aeacei ponerentur. Quae si ἀγάλματα τῆς ἀρχαίας τέχνης fuissent, id certe ille haud immemoratum praetermisisset. Quid quod idem accidit in Hellenio Spartae, revera de Peloponnesiorum in bello Persico concilio, ex fabula vulgata ob coetum procorum Helenae nomen habente q), idem in templo Iovis Homa-

p) Apollod. ap. Strab. VIII, 370. Stephan. s. v. *Πανέλληνες*. Palmer. Gr. Ant. I, 3. p. 10. Heeren. Id. III, 1. 60. sed spurius est locus Iliadis B. 530. (v. Schol. Veneta ad Catal. v. 37.) et male intellectus, ut videtur, Hesiodus ab Apollodoro. V. Salmas. de ling. Hell. p. 274. Hudson. ad Thuc. I, 3. Heyne ad Il. T. IV. p. 310.

q) Paus. III, 12. 5.

gyrii ad Aegium, quo Graecos ad deliberandum coactos esse ab Agamemnone, narrat Pausanias r); sed spectat ad Achaeorum concilia Aegiensia. Itaque Helleniorum omnium, quod sciam, antiquissimum est id, quod ante Olympiadem sexagesimam regnante Amaside prope Naucratim in Aegypto Dorienses, Iones, Aeolenses coniuncti exstruxerunt s).

Ad haec accesserunt duo alia. Alterum est templum Iovis Aphesii Megarense, quo nomine primus Deucalion Iovem post diluvium in arce Argiva coluisse fertur t), et Megarensium fabula, quae templi auctorem perhibebat Aeacum u). Sed Aeginae qui Iovem Aphesium cultum scripserunt v), eos, evolvas libros, omni auctoritate destitutos reperies. Altera est Aeaci ipsius mythica significatio,

ὃ καὶ δαιμόνεσσι δίκας ἐπείραινε w)

cum aliorum foederum conciliatoris, tum pacis inter Scironem et Nisum Megarenses auctoris x). Proinde enim ac dii, quibuscum Aeacum muros Troicos exstruxisse refert fabula y), memoranda illa, quia indolem vaticinii antea factorum perspicue exhibet, ita viri vicinarum terrarum principes Iovis filium divinaeque virtutis antistitem pia mente coluerunt:

ἀβρόατὶ γὰρ ἡρώων ἄωτοι περιναιετάοντων
ἤθελον κείνου γε πείθεσθ' ἀναξίαις ἑκόντες,
οἵτε κρανααῖς ἐν Ἀθάναισιν ἅρμοζον στρατόν
οἵ τ' ἀνὰ Σπάρταν Πελοπηϊάδαι z).

Quem locum quamvis vulgata mythologia anachromismi egregii arguere possit: eiusmodi tamen anachronismis haud raro maior inest vis veritatis, quam fabulis ad rationem temporum castigatissimis. Erat inter hospites etiam Her-

---

r) VII, 24.

s) Herod. II, 178. Mirum fabulam eam a nemine adhuc, neque ab Heynio ad Il. T. IV, p. 366. (ubi Aeacum Thessaliae ad siccitatem avertendam accitum coniectat: similiter apud Themistium Or. 16. p. 212. ed. Par. non omnis Graecia, ἀλλ' ὅση αὐτῆς πρὸς Αἰγίνῃ, liberatur:) et Opusc. Ac. VI, 259., neque a Zoega de obel. IV, c. p. 366. esse intellectam.

t) Arrian. ap. Etym. M. s. v. Ἀφέσιος.

u) Paus. I, 44, 13.

v) Vinding Hell. p. 482.

w) Pind. I. VII, 24.

x) Paus. I, 39. 5.

y) Ol. VIII, 31 — 52. cf. N. IV, 25. I. IV, 39 sq. c. Schol. Sch. ad Il. E, 640. Quo opinor respexit etiam Virgil. Aen. II, p. 471.

z) N. VIII, 9 — 12.

cules Amphitruonius[a]), Aeginetarum et Thebanorum foederis praesagio. Et si Ovidii quae persaepe sine teste et auctore effutit sequimur, nostro foedera erant cum Cecropidis et bellum cum Minoe[b]).

Omnino autem, quanquam Aeacum Hesiodus *ἱπποχάρμην*, quanquam Pindarus Oenonae regem *χειρὶ καὶ βουλαῖς ἄριστον* dixit[c]), hoc tamen (*βουλαί*) tantum praevaluit, et fortitudinis omnem memoriam ita obscuravit, ut non prius redierit, quam in Nonno omnium fabularum et publicarum et mysticarum corruptore manifesto[d]). Est contra Aeacus nomine sibi proprio iustus[e]), est Graecorum omnium sanctissimus[f]), imo a Varrone[g]) *primum templa struxisse* perhibetur, et ab omni parte Romanorum Numam refert[h]). Mitto tamen *σύνταξιν πολιτικήν*, quam ipsi Theagenis fragmentum laudatum attribuit, mitto Tzetzam, qui ex eodem (Chil. 133.) Aeginetarum potentiam maritimam ab Aeaco deducit[i]).

§. 6. Aeaci genus.

Si fabulis Graecorum heroicis veri quid historicique subesse, atque ulla argumentatione e poetarum fuco et cincinnis nominum vetustorum genuinum sensum elici posse fateris: certe, tempore antiquissimo Myrmidonum, eius Achaeorum gentis, ex qua Hellenum nomen ortum processit, colonos e Phthia Thessaliae in Peloponnesum profectos Aeginae sedem et sacra constituisse, demonstravi. Qui qua ratione dispersi pars Phocidem, pars Phthiam repetierit, pars Salaminem abierit, fabulae significant quas brevi exhibebimus, de Phoci caede et fratrum exilio.

---

a) Pind. N. VII, 86. Idem Parthenio in Hercule ap. Steph. s. v. *Οἰνώνη* Oenonaeos memorandi ansam praebuisse videtur.

b) Metam. VII, 484. 502.

c) Nem. VIII, 8.

d) Dionys. XIII, 214. XXII, 263. XXXVII, 610.

e) Cic. Off. I, 27. *Σώφρων* Demosth. λόγ. ἐρωτικ. 1410, 8.

f) Plut. Thes. 5.

g) Ap. Arnob. adv. gent. VI. ab in.

h) Utrique coniux nympha, huic Egeria, illi Psamathe; utrique sacra Jovis Elicii; uterque pacis princeps.

i) Adde Clavier. Hist. I, 92. 164. Siebel. Hellen. 240. 256. Cuiusmodi fabularum ratione prototypica observata nos apparet ap. Plin. VII, 56. *Aeacum nummorum inventorem* tueri, cui Lycum substituit Kuhn. ad Poll. IX, 6. p. 1062. Accedit Cassiodor. Variar. IV, 34. iam laudatus a Junio Catal. Artif. p. 3. *Primi enim dicuntur aurum Aeacus, argentum Indus rex Scythiae reperisse.*

Aeacus ex Endeide [k]) uxore suscipit Peleum et Telamonem, illum omnium consensu Aeacidam, hunc iam a Pherecyde [l]) Actaei Salaminii Glaucaeque Cychrei filium dictum. E Psamathe autem Nereide Aeaco natus est Phocus [m]), ob matris amorem ipsi prae ceteris acceptus et fratribus certamine et gymnico et navali clarior [n]). Huius caede fratres pollutos [o]) fabula perhibet et patris vindictam metuentes, Telamonem ad Cychreum Salaminium, Peleum in Phthiam ad Actorem Eurytionemve cognatos fugere coactos esse [p]). Ille vero, qui magis suasor quam actor sceleris fuerat, cum tamen aditu insulae defenderetur, e iure antiquissimo Phreattyo ex aggere in medio mari exstructo causam suam egit, condemnatus Salamina rediit [q]). Multis seculis post Phoci sepulcrum a patre exstructum saxumque in tumulo, quo Peleum pro disco usum esse dictitabant, credulus vidit Pausanias, vidisse se somniabat etiam Chandlerus.

A Peleo natus Achilles, a Telamone Aiax [r]), uterque

---

k) Tz. ad Lyc. 175. *Δηΐς*. Quam iam ap. veteres duplex narratio, altera, quam tuentur Pind. N. V, 7. Apollod. III, 12. 8. Schol. Il. *Π*. 14. et Chiron Aeacidarum altor, huius Centauri filiam dixit, altera, quam defendunt Plut. Thes. 10. Pausan. II, 29. 7. et fabula ex eodem I, 39. 5. supra relata, Scironis Megarensis.

l) Ap. Apollod. III, 12. 8. p. 84. Sturz. cuius lectionem adversus Heynium recte tuetur Clavier. p. 453. Sed Telamonem Aeaco ex Aegina *ἐν κρονάλησιν ἁλιστεφέος Σαλαμῖνος* natum esse produnt Argon. Orph. v. 187. Cf. Isocr. Evag. 6.

m) *Hesiod.* Theog. 1003. 4. Pind. N. V, 12. De Psamathe accipiendus id. V, 7. Quod *Νηρηΐδων* etiam ap. Tz. ad Lyc. l. l. pro *Ἐριννύων* scribendum est. Apoll. I, 2. 7, III, 12, 3. Paus. II, 29. 7. Heyne p. 776.

n) Maritima ipsum Phoci nomen spectat. — Scholium ad Theocr. IV, v. 32. iam emendatum est a Duckero ad Thuc. p. 212. 26.

o) V. Dorotheus ap. Plut. Parall. 25. 277. W. Ad locos Heynii p. 309. adde Ammian. Marcell. XXII, 16. Fabula inter eas est, quae diversissima exhibentur ratione. Sed in his morari paenitet.

p) Pherecyd. ap. Tz. in Lyc. 175. Sed v. Verheyk ad Anton. Lib. p. 154. Heyne p. 310. Clav. 457.

q) Pausan. II, 29. 7. cf. id. I, 28. 12. Poll. VIII, s. 120. Heyne Opusc. Acad. IV, p. 77. Redit narratio eadem in Teucri Telamonis filii fabula. Adde Verpoorten. de regno Salam. p. 15. sqq. De Psamathes lupo Heyne Apoll. 309.

r) *Αἶαξ*. Gen. *Αἴακος*, forma haud dubie vetustior, ab avo deducta, Doriensis ut *ὄρνιξ* similesque, eademque Latina. Nomen *Αἰακοῦ* refert aquilam patrem, a quo Aiacem deducunt Pind. I. V, 51. Apoll. III, 12. 7. Ab *αἰάζω* Etym. M. *αἰακίζω* alii. V. Lazium in Gr. Ant. Thes. 17. p. 3445. et Dan. Clasenium VI, p. 111. cuius cum nugis puto litigat Gale ad Apoll. l. l. Quae addas ad Heyniana p. 308.

belli Troiani fabulis celebratissimus; ab Achillis filio Pyrrho oriundi reges Epirotarum, a Teucro Aiacis fratre principum Cypriorum gens, ab Aiace ipso Athenarum civium splendidissimi [s]). Quorum omnium dispersionem, exilia, fata apparet circa illius fabulae, cuius documenta et monumenta Aeginetarum gens, *laeta antiquitatibus*, peregrinis ostentare solebat, commune centrum verti. Esse tamen alium fabularum, alium rerum nexum, quis non intelligit? iamque aliud quid, quam Phoci caedem, etsi quid fuerit, magis licet suspicari quam argumentari, Aeacidas, ut in Phthiam reverterentur, impulisse perspicitur. Ita fit, ut Phoci caedes mythice vera, historice falsa sit, iisque quae Pausanias scribit (x, 1, 1.) *Phocidis nomen auctum esse* Αἰγινητῶν ναυσὶν ἐς τὴν χώραν διαβάντων ὁμοῦ Φώκῳ τῷ Αἰακοῦ, concedat. Qui si alibi (x, 30. 2.) utrumque ita conciliat, ut Phocus e Phocide in Aeginam reversus sit et tum mortem oppetierit, Crissus autem et Panopeus filii ipsius post haec in Phocidem iterum redierint: de his quid habendum sit iam novimus [t]).

Hunc Aeacidarum reditum, quem omnes fabulae innuunt, de ipso Aeaco, concessisse eum, narrans, in Phthiam patriaque in sede mortuum esse, prodit Eustathius (ad Il. A, 140.) Et hic finis sit de eo loquendi: nam omnia Deorum filii et sacerdotis, quae maius quoddam et interius significant, alii loco reservata habemus.

Iam vero ut Peleum, ut Aeacum ipsum ad sedes Myrmidonum patrias reversos Myrmidonum nomen secum abstulisse veterum auctoritati concedamus: colonos tamen in Aegina restitisse, inde, quod Aeacidarum religio, quod Panhellenium sacrum restitit, colligi poterit. Neque Aeginetae Dorienses *Aeacidarum nemus mari vallatum turritamque arcem* [u]) tenentes heroum Hellenum memoriam deleverant, sed contra patriorum instar magnopere fovebant.

---

s) Recte igitur et more veterum Sturzius fragmentum Pherecydis de Miltiadis stirpe libro primo, in quo de Aeaco et Peleo perscriptum erat, addidit: secus A. Matthiae in Anal. Wolfianis p. 322., qui illud a mythologico ceterorum argumento prorsus abhorrere scribit. De exulum erroribus Heyne p. 309. De generis honore (qui apud reges Epirotas tantus erat, ut ipsum *Aeacidae* et *Phthiae* frequens nomen esset) Hellanic. p. 50. St. Pind. N. IV, 46. sq. Her. VI, 35. Isocr. in Evag. c. 7. Diod. IV, 72. Paus. II, 29. 4. Philostr. V. Soph. II, 1. Cf. Heyne ad Aen. VI, 481.

t) De illis Asius ap. Pausan. II, 29. 4. V. Mezir. ad Ov. Her. T. II, p. 258. Heyne 309. Adiice, Phoci filium Panopeum ap. Apoll. II, 4. 7. cum Amphitruone, qui Peleo duabus aetatibus maior est, contra Teleboas militare. Denique Phocum nostrum Phoco Ornyti filio ut tempore aequalem ita omnino esse eundem, si in Phocicis versaremur, satis firmis argumentis stabiliri posset.

u) Pind. N. IV, 11.

Duabus abhinc aetatibus, postquam Argonautarum expeditio intercesserat v), cum Troica heroibus Graecorum exitium et fabulis finem ferrent, inter Argivos enumerat etiam Aeginetas Catalogus (Il. B, 562.)

οἳ δ᾽ Ἄργος τ᾽ εἶχον — καὶ ἀμπελόεντ᾽ Ἐπίδαυρον,
οἵ τ᾽ ἔχον Αἴγιναν, Μάσητά τε κοῦροι Ἀχαιῶν·
τῶν δ᾽ αὖθ᾽ ἡγεμόνευε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης.

unde cave cogas Aeginam ante Heraclidarum reditum sub Argivorum ditione fuisse. Nam tum omnino Aeginetas ab Argivis animo fuisse alieniore, ea quae sequentur, ni fallor, probabunt. Hic observare liceat, Hermionae, Asinae, Eioni, Epidauro, Troezeni et Aeginae octoginta naves tribui potuisse, potentiae navalis documentum videri insigne.

Ceterum eam Catalogi nostri partem ab ipsis rhapsodis Argivorum (cf. Herod. V, 67) et tum quidem, cum Argivi Argolidis principatum tenerent, confictam esse, suspicio est. Agamemnon, Achaeorum in Peloponneso princeps, si (Il. B, 108.)

πολλῇσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσει,

iam quae insulae istae fuerint, quaestio proponitur. Argolicae puto et quae in mare Aegaeum proiectae iacent. Nam Zacynthum, Cephalleniam, Dulichium, Taphum tenent alii w). Et Ἄργος ipsum nemo negabit Argolidem esse. Diomedem igitur, principem Aetolum, eumque Agamemnoni non ita subditum, ut non invito illo bellum protendere vel relinquere potuerit, (Il. I, 32. Od. T. 167., quod quis credit subdito unquam licitum fuisse?) Argo-

---

v) Argonautas ad Aeginam appulisse *ὑδρεύσασθαι θέλοντας καὶ γενέσθαι περὶ τῆς ὑδρείας αὐτοῖς ἅμιλλαν*, referunt Apollod. I, 9, 26. Apoll. Rh. IV, 1766. Sed Clavierum interpretatum, tanquam pugna cum incolis exstitisset, docere saniora poterat Heyne I, 9. 26. *Fuisse, ait, inter ipsos Argonautas accelerandi discessus causa.* Sed et hic errat. Erat enim *ἀγὼν ἀμφορίτης*. Ita enim Apollonius: *Αἰγίνης ἀκτῆσιν ἐπέσχεθον· αἶψα δὲ τοί γε ὑδρείης πέρι δῆριν ἀμεμφέα δηρίσαντο. ὅς κεν ἀφυσσάμενος φθαίη μετὰ νῆάδ᾽ ἱκέσθαι. ἔνθ᾽ ἔτι νῦν πλήθοντας ἐπωμαδὸν ἀμφιφορῆας ἀνθέμενοι κούφοισιν ἄφαρ κατ᾽ ἀγῶνα πόδεσσι κοῦροι Μυρμιδόνων νίκης πέρι δηριόωνται.* Is vero est *ἀγὼν ἀμφορίτης*, cuius etiam Callimachus in Iambis (ap. Schol. ad Pind. O. VII, 156. n. 80. ap. Bentl. p. 456. Ern.) meminerat, unde eum ad Apollonii et Callimachiae tatem celebratum esse apparet, similis Vulcani Prometheique *Λαμπάσιν* (cf. de eo Gori. Praef. ad Donii Inscr. p. 90.) idemque haud dubie, qui alibi (Schol. ad N. V, 81.) *ὑδροφορία* dictus (ab initio sacrum triste in diluviorum memoriam peractum. V. Plut. Syll. p. 461. a et Lexicographos. cf. Theopomp. ap. Schol. Arist. Acharn. 1075.) et in Aegina Delphinio mense celebratus est.

w) Schol. Veneta intelligunt de Aeginetis et Rhodiis (sed *ἀνάσσειν* non est *ἡγεμονεύειν*) aut de novem prope Argos pagis, quos insulas dicebant.

rum urbis intra fines coercebimus. Quid vero Catalogus? Nempe Achaei post Troica ex Argolide eiecti Aegialea potiti hic novas sedes condiderant: Agamemnon igitur, Achaeorum rex, praeter Mycenas urbem et contigua quaedam oppidula omnem eam, quae post Achaia audiebat, in Catalogo regionem accipit: quam tamen qui sub tempora Troiana incoluerant, Iones, praeter unum locum eumque manifeste subditicium (N, 685.) atque ex hymno in Apollinem Delium (v. 147.) inculcatum, in Iliade nusquam audiuntur. Et Argivorum sane consilia politica maxime ille versus,

καὶ Σικυῶν' ὅθ' ἄρ' Ἄδρηστος πρῶτ' ἐμβασίλευεν,

nisi me omnia fallunt, lucidissime refert. V. Herod. V, 67. 68.. Quibus denique addas velim, locum de Argivis etiam in Euripidea recensione, tum numero navium longe minore, tum Diomede haud memorato, omnium a nostro diversissime lectum esse. Qua de re omnino videndus est Boeckhius Trag. Gr. princ. p. 238 [x]).

Sed ea ipsa, quaenam per haecce ad Doriensium usque irruptionem tempora insulae nostrae maxime cum Pelopidis Achaeisque Mycenarum Argorumque dominis fuerit coniunctio dissidiumve, investigandi movent desiderium. Cuius explendi materiam fortasse exiguam praebebunt fabulae, quas hucusque sollicite interpretati sumus, luculentiorem, quae de foedere Calaureatico scimus. Quod quo interius cognoscendi copia detur, primum quidem, ut Calauriae insulae de sacris, centro quasi ad universi foederis comprehensum constituto, tum ut de ipso foedere dicamus, opus erit.

§. 7. De sacris Calauriae.

Calauria insula, cuius vetusta asyli religio Demosthenis exilio, morte, sepulcro inclaruit [y]), obiecta iacet Troezeniorum portui Pogoni [z]). Antiquioribus nominibus

---

x) Ex istis autem Aeginetis, qui Troiam concesserant, perpaucos dicunt evasisse domum, plurimos sive bello caesos sive tempestate abreptos periisse. Unde mos τῶν Μονοφάγων in Neptuni Θιάσοις in memoriam temporis, quo paucis tantum, ut reduces conviviis exciperent, contigerat, ortus traditur. V. Plut. Quaest. Graec. p. 301. Hic Aeginetarum Νόστος.

y) V. Demosth. Ep. ap. Harpocr. s. v. Strabo X, p. 374. Mela II, 7. Pausan. I, 8. 4. II, 33. 3. Plut. Demosth. c. 28. p. 859. Phocione 754. d. V. X. Orat. 846. e. Fr. Lucian. Enc. Dem. c. 43. Eust. in D. P. 490. Tzetz. Chil. VII, 37.

z) Καλαύρια, Καλαύρεια. De nominis forma et accentu, insulaeque situ v. Tzschucke ad Mel. T. III, II, p. 707. Nunc cum Sphaeria vicina coniuncta Poro audit, haud dubie de angusto in con-

dicebatur Hyperia et Anthedonia: sed Irenen, fausto concordiae populorum omini, etiam numi nuncupant [a]). Postea totius fere Peloponnesi fato communi et haec insula Doriensium in manus cessit et linguam adscivit, ob sanctitatem tamen ut videtur a Troezeniorum dominatione libera.

Hanc igitur insulam ex antiquissimis temporibus tradunt sacra Apollinaria ipsis Deliis et Delphicis vetustiora tenuisse [b]). Apollinem enim vetus erat fama eam insulam permutasse cum Neptuno accepta eius loco Delo, eodemque tempore Taenaro deo maripotenti tradita sibimet sumpsisse Delphos [c]). De qua sacerdotiorum, ut aiunt, ἀντιδόσει Ephorus apud Strabonem VIII, p. 373. et Pausanias II, 33. 2. referunt oraculum, quod postea in proverbium abiit,

Ἰσόν τοι Δῆλόν τε Καλαύρειάν τε νέμεσθαι
Πυθώ τ' ἠγαθέην καὶ Ταίναρον ἠνεμόεσσαν [d]).

---

tinentem πόρῳ dicta. Quem transitum si Strabo et Plinius quatuor stadiorum vel D passuum dicunt et Strabo (Steph. Eust.) Calauriam νησίδιον, cui ambitus sit XXX stadiorum, appellat (VIII, 369. 374.): uterque Sphaeriam, quae et Hiera nuncupatur, in quam haec exactissime quadrant, cum Calauria permutavit. Ea enim insula, quam Calauriam esse Pausanias, qui ipse ibi Neptunium vidit, certissime evincit, tum pluribus quam decem stadiis a continente abest, tum ambitum centum circiter et viginti stadiorum implet. Cf. Gell. Argolid. p. 137.

a) Aristot. ap. Plut. Qu. Gr. 19. p. 211. Wytt. Anticlid. ap. Harpocr. s. v. ad quem cf. Vales. Suidas T. II. p. 228. K. Phot. Lex. s. v. *Καλ.* In his *Εἰρήνη*. De Plinii H. N. IV, 19. *Irine* v. Berkel. ad Steph. s. v. E numis IP signatis, quos Calauriae tribuit Eckhel. D. N. II. p. 292. alterum eadem, quae Pausaniam II, 30 Troezeniis attribuere video, insignia proferentem vere esse Calaureaticum arbitror, de altero nihil finiverim.

b) Pausan. II, 33, 2. *Καλαύρειαν Ἀπόλλωνος ἱερὰν τὸ ἀρχαῖον εἶναι λέγουσιν, ὅτε περ ἦσαν καὶ οἱ Δελφοὶ Ποσειδῶνος.* Strab. VIII, p. 373. sq. Eust. in D. P. l. l. — Cf. Huellmann. Init. Hist. p. 161. Obss. Miscell. T. VII, p. 79.

c) Pausan. II, 33. 2. quem locum ita corrigo: *λέγεται δὲ καὶ, ἀντιδοῦναι τὰ χωρία σφᾶς ἀλλήλοις. φασὶ δὲ καὶ τοῦτο καὶ λόγιον μνημ.* Id. X, 5. 3. Str. VIII, 373. e. Callim. Fragm. 221. p. 521. Ern. Ovid. Met. VII, 384. Schol. in Aesch. Eumen. 27. in Apoll. Rh. III, 1241. Scriptor. Proverbior. *Ἀντὶ Δήλου τὴν Καλαύρειαν.* Vales. ad Harpocr. s. v. *Καλαύρεια.* Bentlei. et Ernest. ad Callim. Fr. p. 521. - Ephori fragm. ap. Marx. p. 160.

d) Strabo contra,

Ἰσόν τοι Δῆλόν τε Καλαύριάν τε νέμεσθαι
Πυθώ τ' ἠγαθέην καὶ Ταίναρον ἠνεμόεντα.

quae recepit Eust. ad Dion. P. l. l. Sed minus bene. Taenarus

Inde sanctissimum ibi Neptuni templum deique sacra a virgine, donec aetate esset nubili, sancte casteque curata e). Quo factum, ut more veterum consueto Stephanus Byzantius s. v. nomen insulae ἀπὸ Καλαύρου τοῦ Ποσειδῶνος f) et Irenes quoque cognominationem Plutarchus ab Irene Neptuni et Melantheae filia deducere eodemque Anthedoniae nomen referre posset.

Cui ἀντιδόσει cum inter nostrates ii, qui totam Graeciam ab initio a regulis sacerdotibus cultam augurati sunt, magnopere sint confisi: iam, sepositis Strabonis et Pausaniae auctoritatibus, quomodo res se habeat, ratiocinatione eruere conemur. Sunt sane sacra Neptunia ea, quae inter omnia fere plurimum vagata, omnium postremum sedes certas nacta, et ubi consederunt, non Iovialibus antiquiora, sed omnium sunt novissima. Athenis et Troezene cessisse Minervae, Argis et Mycenis Iunoni, Delphis et Delo Apollini, narrant fabulae, quae utrum physici, an potius historici aliquid involvant, haud satis perspicuum est. Singularis autem Neptuno intercedebat necessitudo cum Sole, cum quo ut in Isthmo una colitur, ita in fabulis Rhodiorum est coniunctissimus. Hic amat Neptunus Ἁλίαν nympham, nascitur inde Rhodus, coniux Ἁλίου (Ἡλίου); utrumque colunt Ἁλίοις g). Et etiam Athenis in sacris Butadarum religionis Solis cum Neptunia coniunctae,

---

(cf. Tzsch. ad Mel. p. 294.) Pindaro Pyth. IV, 44. Ταίναρος ἱερά. Καλαύρειαν habent antiquiores, Callim. ap. Schol. Aesch. Eum. v. 27. Apollon. Rh. III, 1243. Ita etiam Harpocration et Steph. Byz. Καλαύρεαν Scylax p. 45. Gron. Agathem. I, 5. (ap. Pausaniam I, 7. II, 32. 2. mss. variant) et idem poetae recentiores, Dion. Per. 499. p. 92. Huds.

Αἴγυλά τ᾽ ἠδὲ Κύθηρα, Καλαύριά τε τρηχεῖα

Priscian. v. 525. Avien. 671.

e) Paus. II, 33, 3. Templi Dorico ordine structi reliquias (*Palatia*) viderunt Chandler. Itin. p. 212. Gell. 136. Urbem Calauriae cum portu novit Scylax.

f) Ex quo loco corrigendus erat idem s. v. Ταίναρος, πόλις ἀπὸ Ταινάρου τοῦ Γεραίστου μὲν ἀδελφοῦ, Διὸς δὲ παιδός, ὃς πλέων σὺν Καλάβρῳ τῷ ἀδελφῷ καὶ τόπον κ. τ. λ. Καλαβρίαν cum Καλαυρίᾳ ap. auct. V. X. Orat. p. 846. permutatam iam notavit Berkel. ad Steph. s. v. post Tzsch. l. l. (v. etiam Harpocr. et Suid. s. v. Καλαβρία); hic etiam Meurs. Misc. Lac. IV, 11. Opp. III, p. 298. et Holsten. ad Steph. p. 301. prave praetermiserunt. Idem mendum delituit in Schol. Villois. ad Catal. v. 68. Est error Itacismi, qui iam veteres Scholiastas, ut nomen accentu mutato, Καλαύρια, a Calabria Italiae distinguerent, permovit. V. Eust. ad Dion. Per. 499.

g) Utri celebrata sint, iam Wesseling. (ad Diod. S. V, 16. non audet temere definire. V. Schol. Pind. O. VII, 147. p. 344. H. Meurs. Graecia fer. I. p. 14. s. v.

quanquam obscurioris et obsoletae, vestigia tamen supererant [h]). Solem vero fuisse, qui olim Taenarum tenuerit, perspicue docet hymnus Homericus in Apoll. P. v. 233.

χῶρον τερψιμβρότου Ἠελίοιο
Ταίναρον, ἔνθα τε μῆλα βαθύτριχα βόσκεται αἰεὶ
Ἠελίοιο ἄνακτος, ἔχει δ' ἐπιτερπέα χῶρον,

eandem, observa, Taenarum, ubi post Neptuno sacra celeberrima constituta sunt, atque etiam haec, ut Calauriae, asyli sanctitate inclita [i]). Tum demum Solis sacra in summum montis verticem recesserunt, quod in Isthmo Briarei iudicio factum tradit Pausanias II, 1. 6. 4: 7.; hic Soli, ut in religionibus lucis, hostiis equinis esse litatum, perhibet idem III, 20. 5; eidemque deo Arionem vestem madidam suspendisse delphinumque consecrasse, colligo e Servio ad Virg. Ecl. VIII, 55. Iam cuique coniectura, idem accidisse in Calauria, suborietur. Quam profecto eximie affirmat ipsum Ὑπέρὰς s. Ὑπερείας nomen manifeste ad Hyperionis sacra referendum [k]).

Iam igitur huc devenimus. Nihil de Apolline Strabonis et Pausaniae, a quo Solem Taenarium dilucide distinguit hymnus Homericus. Sed ut in Isthmo, ut Taenari, ita etiam Calauriae sacra olim peracta sunt Soli Marino, quae mox cum Titan vetustus ex omni Graecia exul in religiones Asianas recederet, non per ἀντίδοσιν quandam, sed necessaria religionum commutatione in Neptunias transierunt. Quo nihil est evidentius. Et iam, quid de oraculo illo apud Strabonem et Pausaniam censendum sit, liquet, quod fictum esse quisque videt, ab Euhemero vero Ephorove, quo auctore Strabo retulit, scilicet ut probarent, Apollinem Neptunumque regulorum instar ditionis suae loca permutasse, effictum esse, coniectura assequi possumus. Nihilo autem firmius est, quod ex Eumolpidarum carmine ap. Pausan. X, 5. 3. pro ἀντιδόσει petunt argumentum, quippe cum in

---

h) V. Harpocr. s. v. Σκίρον.

i) Adde Strab. VIII, p. 363. Paus. III, 25. Nep. Paus. c. 4. Mel. II, 3. Zenob. Cent. II, 59. cf. Ducker ad Thuc. I. 133. Perizon. ad Aelian. V. H. VI. 7.

k) Memorabilis χρησμὸς ille Delphicus ap. Aristot. quem laudat Plut. Qu. Gr. l. l.

Πῖν' οἶνον τρυγίαν. ἐπεὶ οὐκ Ἀνθηδόνα ναίεις
Οὐδ' ἱερὰν Ὑπέραν, ὅθι γ' ἄτρυγον οἶνον ἔπινες.

cuius sensum male certe explicavit Mnasigito apud eundem. Notandum, iis quae Plutarch. ἡ γὰρ Ἀνθηδὼν ἐν Βοιωτοῖς οὐκ ἔστι πολύοινος, adversari Dicaearchum de eadem dicentem: αὕτη δὲ εὔοινος, εὔοψος. Nomen, ut sacra, etiam Troezeni commune. Paus. II, 30. 8.

eo loco: Ποσειδῶνι δὲ ἀντὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς Καλαύρειαν ἀντιδοῦναί φασιν Ἀπόλλωνα τὴν πρὸ Τροιζῆνος, illud φασίν minime de poesi Eumolpia, de qua ante dixit, sed de vulgari quadam incertaque fama intelligendum sit. Incerta dico et fallaci; nam hic Pausanias Calauriam scribit cum Delphis permutatam [l], quanquam idem II, 33. ex oraculo, pro Calauria Apollinem accepisse Delum, Neptunum Delphorum loco Taenarum, retulerat. Et ab utroque dissentit Strabo Ποσειδῶνα dicens ἀλλάξασθαι πρὸς μὲν Λητὼ τὴν Καλαύριαν ἀντιδόντα Δῆλον, πρὸς Ἀπόλλωνα δὲ Ταίναρον ἀντιδόντα Πυθώ, cui accedit Ovidius. Iamque unum relinquitur Callimachi fragmentum de Neptuno dicentis,

Μέσφα Καλαυρείης ἦλθεν ἐς ἀντίδοσιν,

quod aptissime tempus, quo confusione quadam fabula de permutatione Calauriae Delique orta est, designat.

Quibus in luce positis, si quis curiosius, quid commutationis religionum Heliacarum in Neptunias occasionem praebuerit, quaeritet, iam occurrunt Iones, sacrorum Neptuni quoquo deveniunt statores. Floruerunt ea per urbes Achaiae, apud Pellenenses, Patrenses, Aegaeos, unde ad Euboeae gentem cognominem transierunt, maxime apud Aegienses et Heliconios, ut sacra metropoleos, Homero notissima [m]), Helice autem, quae postea, quia templi sui effigiem petentibus Ionibus denegaverat, ipsius dei ira periit, (v. Spanhem. in Del. v. 101.) etiam tum omnium sanctissima habita, ultimum fuerat Ionum, priusquam eiicerentur, refugium; (Her. I, 145. Str. VIII, 385.) denique Achaeos a solis Ionibus sacra Neptunia accepisse, quae Pausanias VII, 24.4. narrat, satis comprobant. Mox Ionibus Aegialea eiectis eadem prorsus sacra in Ionia reviviscunt. Miletum et Teum memorat Pausan. VII, 24. 4., Samus tota sacris Neptuniis inclita, Panionium ipsum cum caerimoniis Neptuni Heliconii arte coniunctum, atque ut in Achaia Heliconii, ita in Ionia Prienenses *Regem Heliconium* e suis eligunt [n]). Nihil dico de Butadarum in Attica Neptuniis: sed memorandus Ποσειδεὼν mensis omni Ionum genti communis. Quid quod eadem sacra in Peloponnesum ad Eleos redierunt.

---

l) Idem Schol. in Apoll. Rh. III 1243., in Aeschyli Eum. 27. de quo Ernestius ad Call. p. 521. „*Memoria lapsus est. Pro Pythia Taenarum accepit Neptunus etc.*" Sed ipse Ernestius memoria lapsus. Jam de veterum inconstantia queritur Palmer. Gr. Ant. VI, 8. p. 623.

m) Il. Θ, 203. N, 21. Str. VIII, p. 386. IX, 405. Paus. VII, 3. 24, 4. 25, 7. 27, 3.

n) Il. Υ, 404. Herod. I, 143. 148. Str. VIII, 344. sq. IX, 384. XIV, 637 a, 639. cf. X, 487. Diod. S. XV, 48. 49. Paus. VII, 24. 4.

Hic *Samicum*, ubi templum Neptuni *Samii*, cui ut in Panionio omnes contribuunt Triphylii, eodem modo praesidet gens sacra Macistiorum et Σαμικὴν indicit ἐκεχειρίαν o).

Quibus observatis etiam Calaureatica sacra olim Soli instituta, post nomine Ποσειδῶνος ab Ionibus illato sensim in Neptunia transiisse coniicimus p): Marinorum vero Deorum sacra Calauriae ex antiquissimis temporibus esse peracta, nobis persuasissimum habemus. —

§. 8. De Amphictyonibus Calauriae.

His igitur Deorum Marinorum sacris aderat, ut Strabo VIII, p. 373. scribit, septem civitatum societas nomine, quod certe a Thermopylarum foedere haud mutuata est, Ἀμφικτυονία dicta. Et ita idem IX, p. 412. Ὀγχηστός, ὅπου τὸ Ἀμφικτυονικὸν συνήγετο ἐν τῇ Ἁλιαρτίᾳ πρὸς τῇ Κωπαΐδι λίμνῃ. Unde nequeo satis mirari eos, qui Androtionis Anaximenisque sententia spreta Ἀμφικτύονας aliunde, quam ab ἀμφικτίοσι, ut vocem usurpat Pindarus q), deducunt, scriptorumque, ut Theopompi, Dionysii Halicarnassei, Marmoris Parii r), auctoritate moti Amphictyonem heroem sibi

---

o) Her. IV, 148. Str. VIII, p. 343. 347. Ste Croix des Gouv. féder. p. 133. Huellmannus Init. Hist. Gr. II, 3. 4. de societatibus Neptuniis agens hanc iniuria praetermisit.

p) Hinc Neptunus, ut Sol, armentorum custos equorumque, maxime ex Attica fabula, generator. (v. quae Creuzer. Symb. II, 387. Boettiger. de Neptuno p. 155. proferunt). Neptunia nunc plerique cum Herodoto II, 50. cf. IV, 188. e Libya deducunt. Heyne Obss. ad Apollod. p. 338. Sed neglectus plane Pausaniae memorabilis locus de Neptuno olim Samici culto, VI, 25. 5. *Σατράπην δὲ, οὐ Ποσειδῶνα, ὄνομα αὐτῷ τίθενται — Κορύβαντος δὲ ἐπίκλησις ὁ Σατράπης ἐστί.* (De voce ea Persica v. Act. Instit. Reg. Gall. T. II. p. 227.) Iam cogita de Telchinibus. Est vero Neptunus in suis religionibus ipse Iupiter marinus, *Nep-Tina*, Mylassensium Iupiter *Ogoas*, Troezeniorum *βασιλεύς*.

q) Praeclare de his disputavit Boeckhius ad Pind. N. VI, 40. Cf. Ruhnken. ad Tim. Lex. Rh. s. v. *Ἀμφ.* Valckenar. ad Her. VIII, 104. Contraria sententia est Tittmanni de Amphict. II, 4. p. 23. sq.

r) Auctoris tamen marmoris Parii sententia haud dubie eadem erat, quae Androtionis. Ep. 5. *Ἀφ᾽ οὗ Ἀμφικτύων Δευκαλίωνος ἐβασίλευσεν ἐν Θερμοπύλαις καὶ συνῆγε τοὺς περὶ τὸν ὅρον οἰκοῦντας καὶ ὠνόμασεν Ἀμφικτύονας.* ubi contraria duo conciliantur. Numus *ΑΜΦΙΚΤΙΟ*. Pellerin Rec. I, p. 105. Eckhel D. N. II, p. 194. — Si Itonus Boeoti pater a Paus. V, 1. 2. (Hecat. ap. Schol. Apoll. Rh. I, 551.) Amphictyonis filius dicitur, haec originem e Thessalia significant. Similiter Physcus Locri pater. Plut. Qu. Gr. 15. V. Clavier. Hist. I, p. 39. sq. Ita tribus inter Thurias Amphictyonica Thessala erat.

eripi non patiuntur. Qui tamen ut omni subole caret, omnique, ubi consistere possit, in fabulis loco destitutus est, ita quae de eo referuntur, paulo acutius spectata, eum ne fabulis quidem sed sola etymologia exstitisse, arguunt. Obiicietur mihi quidem Herodoti locus multum usurpatus, VII, 200. ad Anthelam memorantis Δήμητρός τε ἱρὸν Ἀμφικτυονίδος καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἀμφικτύονος ἱρόν. Sed ut Cererem Ἀμφικτιονίδα, ita consentaneum est ibidem olim cultum esse Iovem Ἀμφικτίονα, ex quo, ut Ἀρισταῖος e Iove Ceorum ἀρίστῳ (nam ipse Aristaeus est Iupiter), ut Καλλιστὼ e Diana καλλίστῃ (nam huius templum ipsius tumulo superstructum erat)[s]), ita etiam una mutata littera heros factus est Ἀμφικτύων.

Verum ob ipsum nomen societatem Amphictyonicam Troiano bello sane esse antiquiorem atque eo tempore conditam putaverim, quo Dorienses, Achaei (etiam Iones), Thessaliam coniuncti incolebant. Praecipuam autem rationem, quam opposuit Freretus (in Act. Ac. Inscr. T. XLVII, p. 71.), quam certe nec Sanctocrucius (de legisl. foeder. p. 319.) nec Tittmannus (II. §. 4. p. 25. sq.) refutavit, eo quod ipsi Boeoti apud Aeschinem et Harpocrationem illi, quos Freretus desiderat, Aeoles, Αἰολεῖς Βοιωτοὶ[t]) fuerint, refellendam censeo. Nam iidem Boeoti Strabone IX, 402. teste Aeolicae coloniae maximam partem confecerunt, ita ut etiam Boeotica appellaretur[u]). Et mihi quidem probabile est, eam coloniam, quae ab Achaeis Peloponnesi orsa plurimis gentibus accitis Troadem, quippe ab Achaeis modo expugnatam, et vicinas regiones incoluit, nullam prorsus constituere certam gentem, sed ut nomine, ita re esse Αἰολεῖς, similes Asiae Παμφύλοις. Ex altera parte, foedus Amphictyonicum vix crediderim tum,

---

s) Considera modo locum Pausaniae VIII, 35, 7. cf. I, 29. 2. De Aristaeo Athenag. depr. c. 14. Heroes ista ratione e deorum cognominibus orti innumeri sunt. Ita Ἰφιγένεια Diana Taurica in filiam Agamemnonis, ita Οὖπις in virginem Deliam conversa. Simili ratione ortus est Aeolus, simili Ζεὺς Λακεδαίμων, Her. VI, 56., in Lacedaemonem conversus.

t) Thuc. I, 12. Diod. S. IV, 76. Str. X, 401. sq. Paus. X, 8. 3. Θεσσαλίαν καὶ Βοιωτοὶ τὰ ἀρχαιότερα ᾤκησαν καὶ Αἰολεῖς τηνικαῦτα ἐκαλοῦντο. Haud sine mendo Steph. Byz. s. v. Ἀσπληδών. φασὶ τοὺς Αἰολεῖς πρότερον Βοιωτοὺς καλεῖσθαι. Quo fit, ut Aeolum nusquam fere, ubi exspectaveris, iniiciatur mentio, raro in Homero, observante Heynio T. IV, p. 369., nec in Euripidis Ione v. 1581, ut notat Heeren. Id. III, 1. 59. — Quae vero Freretus de Delphis, ea eximie refutat λάϊνος οὐδὸς Πυθοῖ ἔνι πετρηέσσῃ, Il. I, 404. divitiarum, Od. Θ, 80. oraculi sedes.

u) Et inter Lesbios Boeotosque perpetua συγγένεια servaretur, unde Thuc. III, 2. VII, 57. lucem accipit.

cum Thessali Aeolibus vel eiectis vel in Penestas conversis totius regionis principatum tenerent, sed eo potius tempore, quo et hi una erant e gentibus accolis ceterisque haud potentiores, originem duxisse. V. Her. VII, 176. Thuc. I, 12. — Unde simul, cum mox ex illa gentium vagina populorum turba prodierit, Amphictyonum Thessalicorum in tota Graecia auctoritas et potestas explicatur, indidemque, cur ceterae omnes Amphictyoniae tam angustis temporis et potentiae finibus circumscriptae fuerint, patet.

Hinc iam ad locum Strabonis, qui unicus de foedere Calaureatico est, veniamus. Ἦν Ἀμφικτυονία τις, ait, περὶ τὸ ἱερὸν τοῦτο ἑπτὰ πόλεων αἳ μετεῖχον τῆς θυσίας. ἦσαν δὲ Ἑρμιών, Ἐπίδαυρος, Αἴγινα, Ἀθῆναι, Πρασιεῖς, Ναυπλιεῖς, Ὀρχομενὸς ὁ Μινύειος. ὑπὲρ μὲν οὖν Ναυπλιῶν Ἀργεῖοι συνετέλουν, ὑπὲρ Πρασιέων δὲ Λακεδαιμόνιοι v).

Qui locus cum ipse nimis exilis sit, tum a nullo alio sustentetur: unde res conficienda sit, sola supersunt septem civitatum nomina. Nam quaeritur, siquidem ad sacra solum administranda eae profecto civitates coire non poterant, quem ad finem, qua necessitate, quo tempore coniungi potuerint. Etenim ex iisdem harum septem civitatum nominibus colligi potest, opinionem quam primus protulit Sanctocrucius, mox alii (ut Drumannus Id. II, I, p. 165.) secuti sunt, omnem Graeciam ab initio divisam fuisse in Amphictyonias, erroribus niti; cum appareat, nonnisi certum quoddam salutis defendendae consilium Orchomenum et Prasias consociare potuisse.

Primum Dorienses foederis nostri auctores non fuisse, tum ex Orchomeniorum et Athenarum societate, tum inde, quod Argivi et Lacedaemonii Prasiis demum et Naupliis subiectis locum in eo occupaverunt, facile intelligitur. Nec vero brevi ante Heraclidarum reditum tempore contra ipsos fortasse Dorienses eam societatem esse initam, arguunt maxime Orchomenii, Boeotis tum iam subiuncti. A quibus omnino in remotiora tempora recedere cogimur: siquidem iam sub tempus migrationis Aeolum, a Boeotis tum e Thessalia redeuntibus *Boeotiae adiecti* eodemque tempore coloniae Ionum participes w), pristino splendore prorsus exuti sunt. Vivit quidem honor Orchomeniorum, quem omnium maxime admirabatur Pausanias, etiam per Ilia-

v) Laudaverunt locum Schmid. ad Pind. Nem. VI, 68. Taylor. Marm. Sandvic. p. 55. Ste Croix des Gouv. féderat. p. 125. et Huellmann. Init. hist. Gr. II, 3, 4. p. 156. Cf. Freret. ap. Ste Croix p. 315.

w) Herod. I, 146. Thuc. I, 12. Str. IX, p. 401. 411. Paus. IX, 37. 3.

Iliadem, I, 381., sed iam hic, Thebarum instar Aegyptiarum, famae vetustae et subobscurae persimilis. Quae autem sinus Saronici et Argolici accolas ad societatem cum Minyis Orchomeni iungendam allectaret, sola esse poterat illorum potentia, quam tum cum post Clymeni necem etiam Creon, rex Thebanorum, Ergino, Orchomeniorum tyranno, pareret, satis constat maximam fuisse [x]). Qui Erginus cum aequalis Herculis, pater Trophonii et Agamedis tertia ante bellum Troianum aetate vixisse referatur, iam foedus Calauriae cum fabulis de Aeaco foederum conciliatore concinere atque conspirare videtur.

Iam vero rem diligentius expendamus. Hermionam antiquitus tenuerant Cares, gens maritima atque multis itineribus iactata, ante Minoem per insulas et litora Graeciae potens, post afflicta et exiguae ditionis [y]). Cesserunt Dryopibus, quos Dorienses e sedibus ipsorum Oetaeis exturbaverant [z]), deinde pluribus oppidis maritimis, in Peloponneso Hermione Asineque et Eione potitis. Qui Dryopes Hermionam tempore etiam bellorum Persicorum tenentes [a]) sedem, foedera, sacra servarunt, inter quae nobis Neptuni maxime fanum ad litus nec procul, in vetere urbe, Solis templum notanda sunt; (Paus. II, 34. 10. 11.) atque etiam tum, cum Dorienses in urbis communionem

---

x) Haec omnes uno ore. Apollod. II, 4, 11. *Θηβαῖοι δασμὸν ἐτέλουν τοῖς Ὀρχομενίοις καὶ Ἐργίνῳ.* Diod. IV, 10. *Ὑποτεταγμένων τῶν Θηβαίων Ἐργίνῳ τῷ βασιλεῖ τῶν Μινυῶν* etc. Strab. IX, p. 414. *Θηβαῖοι δασμὸν ἐτέλουν τοῖς Ὀρχομενίοις καὶ Ἐργίνῳ τῷ τυραννοῦντι αὐτῶν.* Paus. IX, 37. *χωροῦσιν ἐς ὁμολογίαν, Θηβαίους κατὰ ἔτος ἕκαστον τελεῖν δασμὸν τοῦ Κλυμένου φόνου.* Cf. Vinding. Hell. p. 274. Heyne ad Apollod. p. 137. 253.

y) Aristot. ap. Strab. VIII, p. 374. cf. I, 61. XIV, 661. a. Pausan. VII, 3. 4. Sch. Ap. Rh. II, 516. Palmer. Graecia ant. I, 12. p. 71.

z) Nam fabula, Herculem cum Meliensibus Dryopes e sedibus Oetaeis eiecisse vel in Peloponnesum colonos duxisse, expositio tantum mythica eorum videtur, quae Herod. I, 56. *ἐνθεῦτεν τὸ Δωρικὸν ἔθνος ἐς τὴν Δρυοπίδα μετέβη.* Cf. VIII, 31. 43. 73. Str. VIII, 373. c. Diod. S. IV, 37. Paus. IV, 34. Eust. p. 287. Sch. Ap. Rh. I, 223. *Πράξ. Ἡρακλ.* ap. Marin. Inscr. Alban. p. 152. — Palmer. II, 7. p. 313. Vinding 335. Heyne ad Apollod. p. 194. Larcher. ad Her. VIII, p. 181.

a) Qui enim, si secus fuisset, Herod. VIII, 43. Hermionam *Δρυόπων πόλιν* appellasset? Hinc intelligendus Paus. II, 34. 5. *ἐπῴκησαν δὲ καὶ Ἑρμιόνην ὕστερον Δωριεῖς οἱ ἐξ Ἄργους, πόλεμον δὲ οὐ δοκῶ γενέσθαι σφίσιν* etc. De iisdem Str. VIII, p. 373. b. *Ἐρήμωσαν δὲ τὰς πλείστας πόλεις οἱ Ἀργεῖοι ἀπειθούσας. οἱ δὲ οἰκήτορες, οἱ μὲν ἐκ Τίρυνθος εἰς Ἐπίδαυρον ἀφίκοντο· οἱ δὲ ἐκ τῆς Ἑρμιόνης εἰς τοὺς Ἁλιεῖς καλουμένους.* Cf. Paus. VIII, 27. 1.

recepissent, Asinaeique Messeniam colerent, συγγενείας cum populo Dryope memoria non deposita, theorias illorum ad sacra Chthoniae missas thearodoco constituto amice excipiunt [b].

Cum Hermione tenuerant Cares etiam Epidaurum, olim Epicaron dictam [c], cum quibus sub reditum Heraclidarum Iones e tetrapoli Attica, aetate post Dorienses Deiphonta duce coniunguntur [d]. — Quae praemisi, ut appareret, cum foedus Calauriae post sexagesimum a Troia capta annum conciliari Orchomenii non patiantur, necesse esse, Epidauri Cares, Hermionae aut eosdem, aut Dryopes foederis fuisse socios, utrumque populum maris accolam et ita exiguum, ut foedere cum potentioribus, quo se tutaretur, nullus magis indigeret.

Ne autem, iam illis temporibus Epidauriis cum Orchomeniis foedus intercedere potuisse, dubites: antiquitus accolas sinus Argolici Saronicique cum oppidis Boeotiae maritimis mutuis, ut ita dicam, hospitiis consociatos fuisse, nomen Anthedoniae, urbi Boeoticae cum Calauria et Troezene commune, et Anthas ipse Neptuni filius non Anthedoniae solum sed etiam Troezenis conditor satis probant [e]. Atque ipsa Onchestia Neptuni sacra et circa Onchestum Amphictyones, negare non ausim, cum sacerdotibus Calauriae affinitatis cuiusdam vinculis fuisse coniunctos: sicuti sacrorum Geraesti et Taenari et Troezenis necessitudinem multa insigniter produnt. Epidauriorum autem cum Minyis Orchomeniis commercia arguit fabula de Coronide Phlegyae filia Epidauri Aesculapium pariente. Quem quamvis alii Thessalum dicant, Thessalumque ab Orchomenio distinguant, antiquior tamen haud dubie et verior fabula unum tantum eundemque Phlegyam agnoscit [f].

At eiusdem conditionis, qua Epidaurii et Hermionenses, erant etiam Nauplienses et Prasienses. Illi ab origine traduntur Aegyptii et genus a Neptuno Amymoneque Danai filia deducunt, antris Cyclopiis et Licymnia arce (ipsa Calpe et nunc accessu difficiliore) portus-

---

b) Ita in marmore ap. Donium Cl. 4. p. 137. n. 9.

c) Ex emendatione Casauboni ad Str. VIII, 374. ab Eustathio comprobata. V. Tzsch. ad Me!. III, II, p. 300.

d) Str. VIII, 374. Paus. II, 28. 3. Hic vetera Apollinis Maleatae, Solis puto, sacra.

e) Paus. II, 30. 7. 8. IX, 22. 5. Steph. s. v. Ἀνθηδών etc.

f) V. Vinding. Hellen. p. 272. sq. Heyne ad Apollod. p. 236. Quid quod etiam Λακέρεια, urbs Magnesiae et Coronidis ap. Pind. Pyth. III, 34. et Pherec. in Schol. ad l. patria, Hermiones nostrae vetus nomen est. Steph. s. v. Ἑρμιών. Eust. Il. B, 560.

que praestantia atque dei conditoris sacris illustres [g]). Civitas Neptunia, ut apparet, et olim potens. Hi modo Prasienses, modo Brasiotae, antea Ὀρειᾶται dicti, postea oppidulum et navale Lacedaemoniorum, originem suam a gentibus vicinis alienam fabulis de Semele et Baccho οὐδέσιν ὁμολογοῦντες Ἑλλήνων, maxime trium Corybantum sive Dioscurorum cum Minerva sigillis more Cabirio pygmaeis pileatisque et in promontorii vertice collocatis prod

unt [h]). Quid tandem magis convenire potest, quam Aeginetas ipsos, Myrmidonum coloniam ab omni propinquorum auxilio destitutam, Orchomeniis tum potentissimis et Athenis sub idem tempus a Theseo, Latinas quasdam Atticae ferias indicente, regnatis sese adiunxisse?

Sed concludenda est argumentatio. Septem civitates circa Ergini et Thesei tempus societatem Amphictyonicam iunxerant; omnes quidem maris accolae et olim maripotentes, sed nulla ulli cognata, imo diversissimae originis, Iones, Minyae, Cares, Dryopes, Myrmidones, Naupliarumque et Prasiarum gentes alienigenae. Sunt vero omnes, id quaeso observes, ab Achaeorum genere regio alienae; nam fabulae Eleae de Epidauro Pelopis filio Pausanias (II, 26, 3.) ipse nihil tribuit; neque Argivi, qui Epidaurum ab Argo deducunt [i]), populi originem, sed ut in talibus gentium stemmatis fieri assolet, situm loci spectaverunt. Verius Hermionenses Hermiona conditorem ab Europe Phoronei filio spurio deduxerunt Paus. II, 34.

Quae autem ex ipsis civitatum, quae societati adfuerunt, nominibus colligere licuerat, spes est, fore, ut ea commemoratione earum quae abfuerunt, quanquam in eodem ἀμφικτιόνων circulo sitae erant, confirmentur. Sunt eae Tiryns, Argos, Corinthus, Troezene. Iam Troezene tum Calauriae situ proxima tum ob sacra Neptunia Ποσειδωνιὰς appellata [k]), si ni-

---

g) Apollon. Rh. I, 134. Str. VIII, p. 367. 373. a. Paus. II, 38. IV, 35. — Nunc Napoli di Romana et aix Palamedis. V. Gell. Argolid. p. 98. Cf. Clavier. Hist. I, 42.

h) Str. VIII, p. 368. Paus. III, 24. 3. 4. — Scylax p. 38. Gron. Stephan. Byz. s. v. *Βρασιαὶ* et *Πρασιαί*. Thuc. II, 56. Polyb. IV, 36. Meurs. Misc. Lac. IV, Opp. T. III, p. 278. c. Cf. Wasse. ad Thuc. II, 62. p. 133.

i) V. Apollod. II, 1, 2. Schol. Eur. Or. 930.

k) Str. VIII, p. 373. Paus. II, 30, 6. Eust. ad Il. B, 561. Unde Troezeniorum memoratur *mensis Geraestius* ap. Athen. XIV, 639. b. dictus de sede Neptuni (cf. p. 27. n. f.). Sed observa, Troezeniis antiquissimum regem fuisse ORUM (quis vero iste nisi Sol?) et postea etiam Solis Eleutherii templum, (Eleutherii, ut Bacchus apud eosdem Saotes, Iupiter Soter audiebat, de bellis Persicis puta,) V. Paus. II. 30, 6. 31, 8. Troezenae vero

hilo secius foederis expers erat, profecto non fuisse religiones solas, quae eam societatem conflaverint, erit documento. Est vero Troezene civitas Pelopia. A Pelopis filiis ex Hyperea et Anthea collecta dicitur in unam civitatem, mox paret Argivis et cum his Doriensibus cedit l).

Tiryns Proeti antiqua sedes Persei Herculisque urbs natalis post Argivis subiecta est (Il. B, v. 559). Argivi sub ditione Danai, Acrisii eiusque posterorum erant, donec Pelopidae succederent. Corinthus ante Aeolidarum, post paret Agamemnoni, tum gentis Pelopidarum principi. (Il. B, 572. 78.). Qui autem in Peloponneso Pelopidae, iidem in Boeotia Cadmidae sunt per Herculis Tirynthii fabulas Persidis et, qui his succedunt, Pelopidis affines. Atque, ut omnino earum civitatum statum iam ab initio diversum agnoscas, et hoc est memorandum. Tiryns, Troezene, Argos, Corinthus, omnes stadiis quibusdam a mari dissitae navalibus tantum ad litus descenderunt. Sed Epidaurus, Hermionis urbs vetus, Nauplia etiam nunc, in ipsorum promontoriorum verticibus conditae sunt, illae a mediterraneis, hae a gentibus mari advectis m).

Quis iam non perspicit, Amphictyoniam Calauriae esse societatem civitatum maritimarum adversus Danai, Cadmi, Pelopis gentes in mediterraneis praepotentes iunctam. Quae cum sacra Iovis Olympii, unde etiam Pelopidarum potentia originem ceperat, maxime colerent atque observarent: illae fanum ante Solis Marini, post Neptuni Calaureaticum ad sui foederis complexum constituerunt. Et iam iterum nomen Aeaci memorabile. Quid enim in fabulis Graecorum dissidio Aeacidarum cum Pelopidis dilucidius expressum est? Pelopis in Arcades facinora ab Aeaco fuerant expianda: in Achillis Aeacidae cum Agamemnone rixa Ilias laborat: Pyrrhus denique ab Oreste caeditur n).

Sed post Pelopidarum tristia fata, Achaeorum potentiam

---

ut nomina Hyperiae et Anthedoniae, ita omnia sacra cum Calaureatis communia. Quod nostras rationes eximie confirmat.

l) Eurip. Hippol. v. 373. Apollod. II, 15, 7. Str. VIII, 374. Paus. II, 30, 8. Steph. s. v. — Il. A, 561. Paus. II, 30, 9. — Herod. VIII, 43.

m) Desiderare possis in nostro foedere Asinaeos et Eionenses. Sed utrique Dryopes olim in Amphictyonia, ubi populi, non oppida numerantur, cum Hermionensibus unum haud dubie tenuerant locum, postea autem, cum exules facti essent, officia sua in deum ad Hermionenses transtulerunt.

n) Licet enim vulgata fabularum chronologia Pelopidarum potentiam Hercule, Aeaco, Ergino recentiorem statuat, longe tamen aliter sentit Pind. N. VIII, 12. Et Atreum ac Thyestem Amphitruoni aequales fuisse, arguit ipse Apollod. II, 4, 5.

deminutam, Aeolidas, quos vocant, bellis interemtos, Heraclidas Dorienses que Peloponnesi dominos societatem Calaureaticam haud diremisse, sed suspexisse et integram servasse, eo ipso, quod Argivi et Lacedaemonii societatem foederis expetebant, probatur. Exciderant Nauplias Argivi Damocratida rege o). Cuius quanquam nomen me haud memini alibi legere: Naupliensès tamen satis constat sub Olymp. XXX Mothonam a Lacedaemoniis accepisse. Prasiis autem Lacedaemonii, cum ante Argivi totum usque ad Maleam litus tenerent, vix ante primum cum Messeniis bellum finitum, quo confecto Spartani eas regiones Argivis sensim subripuisse videntur, ut infra commonstrabitur, potiti esse possunt. Quibus computatis et cum Strabonis loco: ὑπὲρ μὲν οὖν τῶν Ναυπλιῶν Ἀργεῖοι συνετέλουν, ὑπὲρ Πρασιέων δὲ Λακεδαιμόνιοι, comparatis, foedus Calauriae haud negari posse confido ultra Olymp. XXX quamvis magnopere mutatum tamen floruisse.

Tum enim Prasienses et Naupliensès iam libertate et urbe privati, Orchomenii infirmi, Aeginetae sub ditione Epidauriorum erant, Lacedaemoniique et Argivi atque Epidaurii Dorienses ab Ionibus sensim secesserant, itaque, cum societatis vincula iam dudum essent soluta, sola supererat religio. Licet enim, quae Amphictyones Calauriae, quae omnia cetera Amphictyonica congregaverat, praecipue fuerit civitatum salus communis: illis tamen temporibus cultus deorum et acta publica eadem sunt, ab iisdem administrantur, neque unquam possunt secerni et discerpi. Postea autem, foedere ob commutationes rerum Graeciae publicarum soluto, sacra tamen Neptunia relicta sunt; eaedemque civitates, quae ante contra Achaeorum impotentiam pro aris et focis foedus inierant, tum ad sacrificia dei legatos sacros una mittere solebant, e quibus ne ulla deesset, fani religione vetante, Argivi Naupliarum, Lacedaemonii Prasiensium ipsis subiectorum vices sustinebant.

Quam septem civitatum ad sacra dei curanda societatem, cum piratae Cilices etiam Calauriae templum adhuc intactum compilasse retulerit Plutarchus (Pompei. p. 631.), ad Strabonis fere tempora usque religioni sanctissimae satisfecisse verisimile videtur. Ditaverat deum etiam Eume-

---

o) Pausan. IV, 35. 2. *Ναυπλιεῦσιν ἐπὶ Λακωνισμῷ διωχθεῖσι Δαμοκρατίδα βασιλεύοντος ἐν Ἄργει Μοθώνην Λακεδαιμόνιοι διδόασι.* IV, 24. 2. *Λακεδαιμόνιοι δὲ τότε ὡς ἐπεκράτησαν τῆς Μεσσηνίας τὴν μὲν ἄλλην πλὴν τῆς Ἀσιναίων αὐτοὶ διελάγχανον, Μοθώνην δὲ Ναυπλιεῦσιν ἐδίδοσαν ἐκπεπτωκόσιν ἐκ Ναυπλίας ἔναγχος ὑπὸ Ἀργείων.* Cf. Str. VIII, 368. 373.

nes, Rex Pergamenorum, ut intelligitur ex Inscr. ap. Chandler. p. 80. n. CXXXI.

βασιλΗα ΕΥΜΕνη
βασιΛΕΟΣ ΑΤΤΑΛΟυ
ἁ ποΛΙΣ Α ΤΩΝ ΚΑΛΑΥΡΕΑΤΑν
ἀνεΘΗΚΕ ΑΡΕΤΑΣ ΕΝΕΚΕΝ
καΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΤΑΣ ΕΙΣ ΤΕ
τΟΝ ΘΕΟΝ ΚΑι ΑΥΤΑΝ και
ΤΟΥΣ ΑΛΛΟΥΣ ΕΛΛΑΝΑς p).

---

p) Deterius retulit Reines. Synt. Inscr. Cl. 3, 87. p. 336. — Vetus igitur gentile est *Καλαυρεάτης*, cui more alibi observando Stephanus substituit *Καλαυρείτης*.

In fine huius disputationis addere liceat, Aristotelem et oraculum illud vel potius proverbium (p. 28. n. k.) etiam ab Athenaeo I, 31, b. laudari et inde apparere, *Hyperiadem* et *Anthedoniadem* certa fuisse vitium genera, utramque a Calauria (*ἱερὰ Υπέρα*) Troezenave nomen adeptam: nam etiam *Ἀλθηφιὰς* vitis ap. Athen. et Suid. s. v. (facile e Paus. II, 30, 6. *Ἀλθηπιὰς* correxeris) ad Troezenam refertur.

Neque id praetermittere volui, Amorgum quoque H y p e r e n dici, quippe quae colonos et ipsam trifariam oppidorum divisionem e Rhodo, ex *Aethraea* illa *Asteriaque* insula, accepit. Simmias enim Rhodius, a Suida s. v. nequissime cum grammatico cognomini confusus, Amorgum cum Samiis obtinuerat. De Hyperea Camarina, Luni Lunaeve civitate, Eckhel Num. anecd. I, p. 16. De fonte Hypereide hic nihil.

Caput Secundum.

Aegina metropoli subiuncta.

§. 1. Colonia Epidauria.

Octoginta post Troiae casum annis, cum Heraclidae reditum in sedes avitas tandem effecissent, incipit fabularum novus cyclus ab antecedentis indole diversissimus, sed per Persidas, a quibus Heraclidae genus deducunt, illi mythice annexus. Cuius in atrio quae posita est narratio de Peloponneso a Temeno, Cresphonta, Aristodemique filiis trifariam divisa, eam, ut vulgo narratur, fabula, monendum est, nihilo esse potiorem. Nam ostentant quidem Messenii apud Tacitum (Ann. IV, 44.) divisionis monumenta *saxis sculpta et aere prisco*: quae tamen quis q), pro veris et per tot populi casus, tantam annorum seriem integre servatis habere poterit? Effinxerant autem talia, quorum et nunc exempla supersunt, Dorienses, ut veteris fabulae memoriam iam fere evanidam litteris consignarent, haud raro, ut iura obsoleta istiusmodi argumenta praetexentes facilius recuperarent. — Sed ea divisio fieri nunquam poterat. Spartani enim cum Achaeorum in Laconia singulis oppidis per plura saecula bellant, inanis labor, si universae gentis vim cladibus nondum attritam uno impetu conficere potuissent. Et Temenum, etiam cum diem obiret, nihil praeter Argos tenuisse, post apparebit. Iam vero hic moneo eum e solo Temenio castello, quod ipsi muniendum fuerat, egressum cum Achaeis et Tisameno, quem tamen fabula vulgata primo proelio caesum vel eiectum esse finxerat, Argivis apud Pausaniam (II, 38, 3.) testibus esse proeliatum. Quando autem Heraclidae Mycenas, Agamemnonis regiam, expugnare ausi sunt? Sed occupaverunt Argos: sic domini tandem evadunt Argivi. Ita in Laconia urbs olim princeps Λακεδαίμων: nam haec sedes fuerat Menelai et Achaeorum. (Il. B, 581. Od. Δ, 1. N. 412.): Heraclidae autem potiuntur Spartâ (Il B, 582. Od. Δ, 10.): hinc Dorienses domini Σπαρτιᾶται, Achaei per plura saecula devicti Λακεδαιμόνιοι audiunt. Eludimus igitur fabulam illam r).

q) Praeter Marx. ad Ephorum p. 56., principem harum rerum auctorem.

r) Exhibet inter veteres Plato de legg. III, p. 603. Apollod.

Temeni filii a Pausania *Cisus*, *Cerynes*, *Phalces*, *Agraeus*, ab Apollodoro *Agelaus*, *Eurypylus*, *Callias* appellantur [s]). Quibus cum pater minus faveret, quam Hyrnethus filiae suae coniugi Deiphontae, ex Antimacho et Thrasyanore Ctesippoque [t]) Herculis abnepoti, ab illis per Titanas, ut Apollodorus ait, mercede conductos insidiis petitus et interfectus esse traditur. Tum Deiphontes cum civium magno numero Epidaurum secessit [u]); ceteri sub Ciso relicti eo mortuo regium imperium coercuere, neque quidquam Medoni nisi nomen reliquisse dicuntur [v]). Cum Deiphonta autem in Epidauriam abiisse videtur *Agaeus*, quem e Strabone VIII, 389. d. (Exc. p. 121. Huds.) eiecerat Heynius (Apollod. II, 8. 5. p. 210.), iam autem collato Scymno Chio v. 525 sq. restituisse video interpretem Franco-Gallum (T. III, p. 286. Par. 1812.), idem, ut mihi videtur, atque Agraeus ille, Temeni filiorum minimus, quem invidia fratrum, ut Argis secederet, movere poterat. Suadet Pausanias II, 28, 3, Ἀγραίῳ τῷ νεωτάτῳ τὰ ποιούμενα οὐκ ἤρεσκεν. Quem quidem Agraeum iam occupavit Clavierus (Hist. II, p. 89.) ut Agroni Heraclidarum Lydiorum primo eundem faceret: at haec nimis e longinquo petita sunt, quam quae studiose refellantur.

Deiphontes igitur, ut Pausan. VII, 4. fuse narrat, Epidauro potitur, eiecto Procle Pityrei, Ione a Xutho, qui

---

II, 7, 4. Pausan. IV, 3, 3. Polyaen I, 6. Celebraverant eam maxime tragici. Inter nostros v. Mansonem Spart. I, p. 59. Clavier. Histor. II, p. 40.

s) Nomina Doriensia haud dubie proposuit Paus. II, 28, 3. ficta, fortasse ab Euripide in Temenidis, Apollod. II, 7, 6. Cisus et Phalces recurrunt ap. Ephorum laud. a Strabone VIII, 389., Scymnum Ch. v. 525. sq. Pausan. II, 6, 4. 12, 6. 13, 1. *Agelaus* Archelao Hygini fb. 219. in Macedoniam profugo, idem esse potest, cui Euripides, ut Agatharchides de m. r. p. 12. Huds. ait, Temeni res gestas attribuerat (cf. II, p. 428. Musgr.). V. Heyne ad Apollod. p. 209.

t) Pausan. II, 19, 1. 28, 3. Ex quo Ctesippo dubium, ut videtur, e filio Astydamiae Amyntoris. Van Staveren Misc. Obs. T. III, p. 383. Heyne ad Apollod. II, 7, 6. 8. Pro *Τιτᾶνας* Heyne p. 241 et Clavier. *Τιτανίους*, Tan. Faber *τινάς*, utrumque minus apte.

u) Apollod. II, 8, 5. *γενομένου τοῦ φόνου τὴν βασιλείαν ὁ στρατὸς ἔχειν ἐδικαίωσεν Ὑρνηθοῖ καὶ Δηϊφόντῃ*. Rectius Paus. II, 26. *ἀπεσχίσθησαν τῶν ἄλλων Ἀργείων Τημένου τελευτήσαντος Δηϊφόντης μὲν καὶ Ὑρνηθὼ κατ᾽ ἔχθος τῶν Τημένου παίδων*. Quae qua ratione a fratribus Epidauro rapta, Deiphontes insecutus Phalcen telo petere, ne uxorem sauciaret, haesitasset, et Phalces sororem utero gestantem trahens inscius exanimarit, eam fabulam tractabat Euripides Temenidis, ut Epigr. Anthol. H. Steph. II, p. 152. indicat. V. Ed. Musgr. Lips. p. 476. Cf. Paus. II, 23, 3. 26, 4. 28, 3.

v) Paus. II, 19, 2. corr. a Claviero Hist. II, 94. Vindingn p. 33. Ubbo Emm. de rep. Argivor. p. 191.

inde profugus cum Tembrione Samum obtinet[w]). Nec dubito, quin, ut Aletas Corinthi, Phalces et Rhegnidas Sicyone et Phliunte Achaeos veteresque incolas, ita Deiphontes Epidauri dominos non Dorienses sed Iones invenerit eosque primus expulerit. Nam filios demum Temeni atque nepotes vicinas quasdam urbes occupasse, ipsa ex narratione Pausaniae perspicuum est: neque ullum praeter Argos in tota Argolide oppidum reperire poteris, quod iam ipsum Temenum tenuisse dicas. Qua igitur ratione explicandus est Herodotus I, 146. inter consortes ἀποικίης Ἰωνικῆς Δωριέας Ἐπιδαυρίους enumerans? Nimirum Dorienses, cum primum Epidaurum occupassent, (Λιμωδωριεῖς, ut fabula quaedam tradit) confestim navibus in Asiam abire coeperunt et ita coloniae Ionicae comites facti sunt. Nam quod Larcherus VIII, p. 201. scribit, *a Deiphonta Epidauro eiectos esse Dorienses*, nemo sana mente amplectetur. Nec facilius Claviero II, q. 65. assenties, ut Pausaniae suo placeret, Herodotum mendacii insimulanti. Difficultatem sensit Reiskius, sed parum scite Δωριέας καὶ Ἐπιδαυρίους correxit, quem tamen dum Wesselingius refutare studet, res in quo cardine versetur, eum haud intellexisse manifestum est.

Quaestione de Doricorum in insulis regnorum origine nihil est impeditius. Ex opinione enim, quae obtinuit, iam ante bellum Troianum Tlepolemus, Herculis filius, (sed mater incerta est) Tirynthius, Licymnio interfecto cum Argivis Rhodum secesserat[x]). Contra satis constat, Rhodum cultam fuisse a Doriensibus, iisdemque Argivis. Itaque cogimur, cum Dorienses non ante reditum Heraclidarum Argos devenisse noverimus, Tlepolemi Heraclidae colonos a Doriensibus saeculi fere spatio divellere. At Heraclidae ubique cum Doriensibus colonis coniunctissimi sunt: et si audis Catalogum (Il. B, v. 668. cf. Schol.)

τριχθὰ δὲ ᾤκηθεν καταφυλαδὸν,

quae Dorica divisio est, *ipsum Tlepolemum secuti sunt Dorienses.* Con autem et Carpathum atque Casum a Thessalo Heraclida iam pluribus ante Troica annis conditas et post ab Antipho Phidippoque regnatas ferunt: sed et huc Dorienses Argivos coloniam duxisse scimus[y]). Credulum dico, cui haec suspicionem non moverint. Porro

---

w) V. Themistagoras ap. Etym. M. s. v. Ἀστυπαλαία. Cf. Clavier. II, p. 74. Deiphontam Doriensem Argivos ex ipsorum urbe eiecisse, narrat Polyaen. II, 12. Sed errat. Epidaurios vult.

x) Il. B, 653. sqq. Pind. Ol. VII, 20. Apollod. II, 8, 2. Diod. IV, 58. Paus. II, 22, 8. III, 19, 10. Mire se torquet Clavier. I, p. 384. Cf. Mezir. ad Ov. Epp. p. 44. Heyn. ad Apoll. p. 204.

y) Il. B, 676. sq. Apollod. II, 7, 8. — Diod. V, 54. Tac. Ann. XII, 91. *Argivos vel Coeum — insulae cultores,*

Halicarnassum Tacitus Ann. IV, 55., anno p. Chr. XXVI. *mille et ducentos annos* stare memorat: et apparet, eam urbem recte ab Herodoto VII, 99 *Doriensium Troezeniorum coloniam* dici, quocum non pugnat Mela I, 6. *Argivorum* nuncupans: hinc iudicandum est de fabula, Antham Aëtiumve fabulosos Troezeniorum reges coloniam illam deduxisse [z]). Unde magnopere vereor, ne historiam obfuscaverint fabulae, in quibus quid verum esse possit, nisi insulas illas a Doriensibus, iisque Argivis, occupatas esse, non perspicio. Sequimur igitur solum Herodotum VII, 93, Δωριέες οἱ ἐκ τῆς Ἀσίης, γεγονότες ἀπὸ Πελοποννήσου [a]). Tum primum igitur, cum Doriensium gentes in Peloponnesum descenderent et in omnes partes evagarentur: Dorienses Heraclidis ducibus etiam in Asiam abiisse verosque et unicos Rhodiorum, Coorum ceterorumque conditores fuisse, probabile videtur. Iam succurrit Strabo XIV, 653. Οἱ Δωριεῖς οἱ τὰ Μέγαρα κτίσαντες μετὰ τὴν Κόδρου τελευτὴν οἱ μὲν ἔμειναν αὐτόθι, οἱ δὲ σὺν Ἀλθαιμένει τῷ Ἀργείῳ τῆς εἰς Κρήτην ἀποικίας ἐκοινώνησαν, οἱ δ' εἰς τὴν Ῥόδον καὶ τὰς λεχθείσας ἀρτίως πόλεις (Κῶ, Κνίδον, Ἁλικαρνασσόν) ἐμερίσθησαν. Et omnino vere Aristides de concordia ad Rhodios (2, 396) ἀρχαῖον ἐστὲ Δωριεῖς ἐκ Πελοποννήσου Ἡρακλείδαις δὲ καὶ Ἀσκληπιάδαις ἀρχηγέταις καὶ βασιλεῦσι κέχρησθε, Argis quippe et Epidauro profecti [b]). Loquantur igitur Tlepolemos, Tectamos, Thessalos suos fabulae satis celebratae. Etenim cum Troica per totam Graeciam cantarentur, Tlepolemum, Phidippumque et Antiphum, etiamsi in ipsis fabulis nullum habebant locum, copiarum catalogo inseri, erat necesse [c]), ita-

---

z) Apollod. ap. Steph. Byz. s. v. p. 436. Heyne. Str. XIV, 656. Paus. II, 30, 8.

a) Etiam Pindar. Ol. VII, 19. Ἀργείᾳ σὺν αἰχμᾷ. Thuc. VII, 57. Ἀργεῖοι γένος. Cf. Zeuxipp. ap. Syncell. 178. a. Vitruv. II, 8. p. 52.

b) Quae ad illustranda monemus etiam Cnidi veterem fuisse medicinae disciplinam; et iam Gereniae Machaonis Asclepiadae τέμενος appellatum esse Rhodum. Ita Paus. III, 26, 7. Coorum autem Asclepiadas cum Epidauriis coniunctissimos fuisse, arguit Epidauriorum Limerensium apud eundem III, 23, 4. fabula magnopere memoranda.

c) Locus de Rhodiis in Catalogo 653—70. omnium longissimus ut etiam notat Aristid. 3, 39. iam ob versum ultimum suspicionem movet,

καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων,

cum Rhodios, vix crediderim, multo ante Olympiadem primam tempore mercaturas facere coepisse. Cf. Heyne in N. Commentt. Soc. Gott. II, p. 40. Opusc. Acc. VI, 497. V. Schol. in Pind. Ol. VII, 64. Similiter Κόρινθος in Catalogi loco supra notato ἀφνειὸς est, quae etiam Heynium offenderant, (ἐμπόριον γὰρ ἦν τῆς Ἑλλ. Schol.

que gloriolae huius appetentia effectum est, ut heroes Dorienses bello Troiano multum recentiores partes in fabulis haud aspernarentur, eadem prorsus ratione, cuius exempla in carminibus, quae nobis patria sunt, obversantur. Iamque fabulam de Tlepolemi fuga modo ad Heraclidas ab Eurystheo nondum eiectos, modo ad priorem Hylli Heraclidae expeditionem referri oportebat. Unde Rhodiaca corrumpi coepta sunt: et cum scriptores, ut Strabo et Pausanias, catalogum ubivis fundamento posuerint, historia sordibus obsolevit, quas quam primum fas est elui. Consimili errore, ut et hoc moneam, quo haud dubie pleraeque Graecorum κτίσεις laborabant, Cretenses Althaemenem Argivum ipsorum generi regio adoptantes Minois nepotem dixerunt d). Quae omnia posthac Diodorus V, 59. 60. ita commiscuit perturbavitque, ut quae inde prodiit, historia dicta, omni fabula deterior sit. Nam magnum in historiis malum poetae, maius eiusmodi historici.

Sed haec praemisi, ut inde appareret, eodem populorum impetu quo Dorienses Lacedaemonii Lyttum, Theram, Melum condiderunt, etiam Argivos in Cretam, Rhodum, Con, Cnidum, Halicarnassum eodemque Aeginam colonos deduxisse. Ita Aeginetae recte et Epidauriorum et Argivorum colonia dici poterant. Ab Epidauriis enim Dorienses Aeginae oriundos esse, auctor est Herodotus VIII, 46. Αἰγινῆταί εἰσι Δωριέες ἀπὸ Ἐπιδαύρου e): luculentissimeque loquitur Pausanias II, 29, 5. χρόνῳ ὕστερον μοῖρα Ἀργείων τῶν Ἐπίδαυρον ὁμοῦ Δηϊφόντῃ κατασχόντων διέβη ἐς Αἴγιναν. Cuius coloniae ducem appellant Triaconem Scholia in Pindarum, et Tzetzes f), utrique e Theagene Aegineticorum scriptore: sed eundem Triaconem nuncupant Argivum, Aeginamque ἄποικον τῶν Δωριέων τῶν Ἀργείων eadem Scholia cum Tzetza g). Apud quem quae sequuntur Μετὰ γὰρ Λακεδαιμονίων ἐλθὼν Αἰακὸς ταύτην κατῴκησε, ea attulit quidem Meursius Misc. Lac. I, 7., ut probaret, Aeginam esse

---

Ven.): apud Homerum urbes tantum regiae Pelopidarum. Nam Corinthiorum mercaturae multum recentiores sunt. V. Thuc. I, 13. Occurrit Tlepolemus iterum Il. E, 627. scilicet ut diem obiret. Phidippus vero et Antiphus omnino non recurrunt.

d) Cf. Strabo X, 479. XIV, 653. cum Apollod. III, 2. Diod. S. V, 82. Conone 47. Hinc duplex Althaemenes.

e) Quem laudat Eust. in D. P. v. 512.

f) In Nem. III, 1. in Lyc. 176. Chil. VII, 133.

g) Schol. in Ol. VIII, 39. Τριάκων τὶς Ἀργεῖος συλλέξας πλῆθος Ἀργείων, οἱ δὲ Ἀργεῖοι τοῦ Δωρικοῦ γένους, εἰς τὴν Αἴγιναν ἦλθε καὶ κατῴκησε, ut Heyne ad Apollod. III, 12, 6. recte correxit. Mel. κατῴκισε. Sch. in Nem. l. l. Pyth. VII, 29. Tz. in Lyc. l. l.

coloniam Spartanorum, sed e more suo non explicata reliquit. Ex altera parte ne quid emendes vetant quae praecedunt. Equidem Tzetzam mala Pindarici

Δωριεῖ λάῳ ταμιευομέναν ἐξ Αἰακοῦ

interpretatione in errorem eius generis, quales plures admisit, inductum esse coniicio. Et similiter hariolatur Strabo VII, 16. p. 375. ἀπῴκησαν Αἴγιναν Ἀργεῖοι καὶ Ἐπιδαύριοι καὶ Δωριεῖς, haud videns et Argivos et Epidaurios et Dorienses eandem esse coloniam Triaconeam [h]). Nam de Cretensibus in contextu libelli dicemus.

Ita Dorienses, quamvis incolis Myrmidonibus non expulsis, contra, ut Pausan. II, 29. ait, Αἰγινήταις τοῖς ἀρχαίοις γενόμενοι σύνοικοι, tamen, ut idem, τὰ Δωριέων ἔθη καὶ φώνην κατεστήσαντο ἐν τῇ νήσῳ. Inde Aegina Δωρὶς νᾶσος (Pind. Nem. III, 3.) Dorienses mores [i]), Doriensium instituta, tribus, foedera cum Doriensibus adscivit, ea tamen omnia Aeginetarum proprio ingenio ita emollita, ut indolem Doriensem a natura loci populique indigenae ingenio victam confiteare. Omnino quam nostri Doriensem animi temperaturam appellare solent, vereor an iure solis a Spartanis deduxerint. Nam profecto Corinthii, Megarenses, maxime Argivi, populus democratiae amantissimus, et omnes horum in Asia, illorum in Sicilia coloni longe discrepant. Dialectum Doriensem, quam etiam Epidaurii ad postera usque tempora servaverunt, proferent inscriptiones, talem tamen haud dubie, de qua Strabo VIII, 333. οἱ δ' ἄλλοι (Πελοποννήσιοι) μικτῇ τινὶ ἐχρήσαντο ἐξ ἀμφοῖν (Dorica et Aeolia) οἱ μὲν μᾶλλον, οἱ δ' ἧττον αἰολίζοντες. σχεδὸν δ' ἔτι καὶ νῦν, pergit, κατὰ πόλεις ἄλλοι ἄλλως διαλέγονται, δοκοῦσι δὲ δωρίζειν ἅπαντες. Cf. Paus. VII, 27, 5.

E plurimis igitur gentibus Aeginetarum popellus erat compositus. Tenuerant insulam Pelasgi Οἰνωναῖοι, mox colonia Achaeorum mixtis Phliasiis, dicti Μυρμιδόνες, accedunt Dorienses Epidaurii sive Argivi. Inde ex eo tempore audiunt Αἰγινῆται.

Fuisse autem Aeginetarum iustam metropolim neque Argos neque ullam aliam Doriensium civitatem, sed solam Epidaurum, aperte indicat Herodotus V, 83.

Τοῦτον τὸν χρόνον dicens, καὶ πρoτοῦ, Αἰγινῆται Ἐπιδαυρίων ἤκουον, τά τε ἄλλα καὶ δίκας, διαβαίνοντες ἐς Ἐπίδαυρον, ἐδίδοσάν τε καὶ ἐλάμβανον παρ' ἀλλήλων οἱ Αἰγινῆται.

---

h) Errorem inficere auget Larcherus in Operis Herodotei T. VIII p. 188 temere scribens: *Cette île fut* successivement *habitée par des Argiens, des Crétois, des Epidauriens.*

i) Δωριεὺς κῶμος, Pind. P. VIII 21. cf Schol. V. Carmen Isthmiis in calce Cod. Medic. et Paris. affixum in Comm. Boeckh. p. 578.

Ex quo tamen loco, qui Aeginetas Epidauriis fuisse prorsus subditos eorumque arbitrio obnoxios colligit, manifeste errat, ut Valckenarius ad nostrum locum Aeginetarum officia cum sociorum in insulis ab Atheniensibus πλεῖν ἐπὶ δίκας Ἀθήναζε, Ἀθήνησι δίκας δοῦναι καὶ λαβεῖν coactorum misero et afflicto statu comparans. Quae quamvis verbis consona sint, re tamen nihil magis discrepat. Etenim coloniarum duo potissimum genera distinguenda sunt, antiquius idque, ut ita dicam, religiosum, recentius mere politicum. Priscis temporibus coloniae deductio est sacrum, coloniae in maiorem patriam necessitudo [k], vinculum solum communio sacrorum. Deducuntur aut oraculo iubente aut sortibus a deo repetitis [l]; deducuntur e prytaneo, lampade in foco civitatis accensa; sequuntur aut repetuntur signa deorum; ipsas, quod maxime memorandum, templorum pristinorum effigies imitari religio [m]. Ad sacra metropolis hostiae et theori missi; metropolis legatis patrum instar προεδρία, in viscerum distributione primus honos concessus; etiam sacerdotes e maiore patria arcessi fas erat, de quo quanquam unus, quem noverim, locus est Scholiorum ad Thuc. I, 25. ἔθος ἦν ἀρχιερέας ἐκ τῆς μητροπόλεως λαμβάνειν, res tamen maxime est probabilis [n]. Arma in matrem et ξυγγενεῖς movere, impium; pro metropoli quamvis non lex, pium tamen; eam in discrimine vitae deserere nefas [o]. Quae omnia post tempora Persica praecipue ab Atheniensibus novandi cupidissimis magnopere turbata sunt. Coloniae, quae ante ad multitudinem exonerandam aut piaculum quoddam evitandum aut antiqua iura recuperanda deducebantur, tum primum ad potentiam augendam et loca opportuna praesi-

---

k) *Ξυγγένεια ὡς γονεῦσι πρὸς τέκνα καὶ τέκνοις πρὸς γονεῖς.* Sin vero ut Hobbesius de Civ. 24. inde coloniam, *civitatis prolem, in patria potestate* esse, colligis, iam subit notio a Graecis aliena.

l) V. Spanhem. ad Call. in Apoll. v. 55. p. 112. Ern. Miror Hegevisium de Colon. p. 141. coloniae oraculi monitu deductae se nullum recordari exemplum, confessum. Miror inquam. *Quam Graecia coloniam misit* (Cic. de div. I, 1.) *sine Pythio, aut Dodonaeo, aut Hammonis oraculo?*

m) V. Strabon. VIII, 385. Vales. ad Exc. Polyb. p. 694. 28. Kanngiesser Antiquit. I, 16. p. 90. Vulgata hic taceo.

n) Ita duces belli, Plut. Timol. 254., ita legibus sanciundis viri, Pl. ib. 248. a. Dione 981. e, e metropoli expetuntur. Spanhem. de usu numism. p. 582.

o) Quae Heyne de *συμμαχίᾳ* coloniarum, in iis eum multa turbasse manifestum est. Quodsi coloniae ad societatem bellorum metropoleos iure devinctae sunt, cur, interrogo, foedera solemnia inter eas feriuntur? Polyb. Exc. Vales. XII. p. 40. Cf. quae Herod. VII, 157. sq. — Heyne Opusc. I, 326.

diis firmanda condi coeptae sunt. Iam de coloniae iure et legibus in ipsa deductione paciscebantur, iam magistratus coloniis impositi, ἐπιδημιούργοι Potidaeatis a Corinthiis, iam Atheniensibus coloniae suae tributi genus solvebant (Isocr. Panegyr. p. 46.) p). Quae rationes etiam nostrae de Epidauro et Aegina quaestioni admovendae sunt, secludenda autem omnis e tempore posteriore comparatio. Dorienses Aeginetas Doriensibus Epidauriis subditos esse, iam indoles Doriensium haud patiebatur. Erant contra una civitas, sacrorum communione coniuncti; habent leges, habent iura communia; eadem tum liberi tum tyrannis subditi reguntur conditione, utrique foederis Calaureatici socii. Quod comprobabunt omnia quae sequentur.

§. 2. De bello cum Cynuriis.

Incoluisse Peloponnesum sub ea tempora, docet Herodotus VIII, 73., gentes septem, Dorienses Argolidis, Laconiae, Messeniae et Corinthi, Aetolos Elidis dominos, Dryopes Asinae et Hermionae colonos, Minyas Lemno eiectos per Triphyliae oppida sex, Achaeos potentia sedibusque pristinis exutos in Aegialea habitantes; duo autem reliqua ἔθνεα αὐτόχθονα ἐόντα κατὰ χώρην ἵδρυται νῦν, τῇ καὶ τοπάλαι οἴκεον, Ἀρκάδες τε καὶ Κυνούριοι.

Cynurii habitabant in confinio Argolidis, Laconiae et Arcadiae ad Parnonem et Parthenium montem circa Tanum fluvium, ubi postea collocati erant Argivorum et Lacedaemoniorum termini. Nuncupatos invenio Cynurios Argivos, qui praeter Thyream urbem vicos quosdam, Neridem, Euam, Anthenen q), tenebant et Arcadicos, τοὺς Κυνουρέας (s. Κυνουραίους) ἐν Ἀρκαδίᾳ, Gortynis, Thissoae ad Lycaeum, Lycotarum oppidi

---

p) De Coloniarum iuribus et officiis Vales. not. ad Exc. Polyb. p. 6. et saepius. Spanh. de praest. et usu numism. I, 9. p. 564. Heyne Opuscula I, p. 291. Bougainville Dissert. Par. 1754. Sainte Croix de l'état des colonies des anciens peuples. Philadelphie 1779. 8. et quae plura eius generis belli Anglorum cum coloniis suis tempora tulerunt.

q) Thuc. V, 41. Str. VIII, p. 376. Scyl. p. 38. Pl. IV. 8. Paus. II, 38. 6. Harpocr. s. v. Solin. c. 9. (Anthea) Steph. Ἀνθάνα, Stat. Theb. IV, 46. V. Meurs. Att. Lect. VI, 13. Misc. Lac. IV, 4. in Opp. T, 2. p. 1269. et 3, 275. De Thyrea Brodaeus Miscell. II, 11. in Gruteri Lampadis T. II. De nomine Θυρέας, Θυραίας, Θυρεῶν, Θυραιῶν, Θυρῶν Casaub. ad Str. I, p. 65, Intpp. ad Steph. Byz. s. v. Kuhn. ad Paus. II, 29. p. 178. Wessel. ad Diod. p. 508, Duker. ad Thuc. IV, 56. Ruhnken. ad Tim. p. 74. Similiter Κυνουρεῖς, Κυνούριοι, Κυνουραῖοι. Adde Mans. Sp. I, 2, 43.

et Alipherae incolas, unde eos Epaminondam Megalopolim congregasse, refert Pausanias[r]).

Pergit Herodotus: Οἱ δὲ Κυνούριοι αὐτόχθονες ἐόντες δοκέουσι μοῦνοι εἶναι Ἴωνες. Quem locum mire vexarunt Batavi. Valckenarius, cuius in opinionem pedarius currit Larcherus ad Herod. T V, 491., coniecerat δοκέουσι μὲν ἐνίοις εἶναι Ἴωνες, quo nihil inconvenientius fingi poterat. Alius probabilius δοκέουσι μεν μοι ε. I. Sed ita quod offenderat non tollitur. At comparare debebat vir acutissimus Herod. I, 56. ταῦτα γὰρ ἦν τὰ προκεκριμένα ἐόντα τὸ ἀρχαῖον. τὸ μὲν, puta Ἰωνικόν, Πελασγικὸν κ. τ. λ. (quo loco misere torquetur La Nauzius in Actis Ac. Inscr. T. XXII, p. 115.) et VII, 94. Ἴωνες πρὶν ἢ Δαναόν τε καὶ Ξοῦθον ἀπικέσθαι ἐς Πελοπόννησον, ὡς Ἕλληνες λέγουσι, ἐκαλέοντο Πελασγοὶ Αἰγιαλέες, et c. 95. Νησιῶται καὶ τοῦτο Πελασγικὸν ἔθνος, ὕστερον δὲ Ἰωνικὸν ἐκλήθη κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, et intellexisset, Herodotum Pelasgos cum Ionibus ita permutasse, ut etiam Cynurios, gentem Pelasgam, pro sola in Peloponneso Ionica haberet. Pelasgos vero ex Herodoti sententia esse aborigines, alibi monuimus.

Cur Pelasgos cum Ionibus permiscuerit, supra commonstravimus: cur autem Arcades Herodotus minus Iones habuerit, ea quaestio nonnisi in Arcadicis tractari potest. Verum id manifestum est, ea quae Pausan. III, 2, 3. et ex eo Steph. Byz. s. v. Κυνουρία referunt, λέγονται οἱ Κυνουρεῖς Ἀργεῖοι τὸ ἀνέκαθεν εἶναι καὶ οἰκιστήν φασιν αὐτῶν Κύνουρον γενέσθαι τὸν Περσέως, solis ab Argivis, quibus probarent, suam ab initio fuisse Cynuriam, esse efficta, et magnopere errasse Clavierum ad Apollod. T. II, p. 242., *Cynurios dicentem, se a Cynuro Persei originem ducere, contendisse,* quod iis ne in mentem quidem veniebat. Erant contra Cynurii Arcadibus cognati, ipsa adsentiente fabula, quae Thyream a Thyraeo Lycaonis conditam perhibet[s]).

Sed redeo ad Herodotum: Ἐκδεδωρίευνται[t]), ait, ὑπὸ

---

r) VIII, 27. *Lycotae* iidem esse possunt, qui C. 36. et ap. Stephan. *Λυκοάται*. Sed *Λυκειάτας*, qui eodem capitis segmento occurunt, Facius male contulit. De *Aliphera* v. ad c. 3, 3. Apollod. III, 8, 1. Steph. Byz. s. v. *Ἀλίφειρος*. Iam hinc apparet, male Anvillium eas urbes prope Pisatidem collocasse. Aliphera etiam Pausaniae (27. 5.) tempore oppidum, Gortys vicus prope Megalopolim erat. v. 28. 2. Sed Gortynem Plato de legg. IV, p. 708. a. matrem urbis Creticae dicit. Quibuscum consentit fabula, quae Gortynem Cretae Tegeatae filium dicit. Quae mihi persuadent, Cynurios Gortynenses Amyclaeensis in Cretam coloniae participes factos eam urbem de suo nomine dixisse. Locos v. ap. Meurs. Misc. Lac. I, 7. Cret. I, 10. IV, 14. Opp. T. 3. p. 110. 370. 536.

s) Paus. VIII, 3. 1. 35, 6. Cf. Leon. Adami Arcad. I, 11. p. 43.

t) De ea voce v. praeter Valcken. ad. l. Salmas. de lingua Hell. VII, p. 433.

τε Ἀργείων ἀρχόμενοι καὶ τοῦ χρόνου, ἐόντες Ὀρνεῆται καὶ περίοικοι. Quae Valckenarius viris doctis emendanda relinquit vel explananda. Wesselingius contra, *eam gentem Cynuriorum*, dicit, *forte propagatam late a Spartanis pressam et agro exutam, in Argivorum ditionem deinde una cum Orneatis, quibus ab inimicis divexati videantur se consociasse, venisse.* Quibus lectis Herodotum magis intelligi nemo mihi persuadebit.

Certe quidem incolas Ornearum, oppidi Arcadiae et Phliasiae Sicyoniaeque contermini, gentem Argivis et Sicyoniis infensissimam, Phliasiis fortasse cognatam, Argivi devictos tandem sibi subiecerant [u]). Verum id non ante Olymp. LXXVIII contigisse, ex his mihi verisimile exstitit. Ita enim Pausanias VIII, 27, 1. ἀνθρώπων πλήθει τὸ Ἄργος ἐπηύξησαν καταλύσαντες Τίρυνθα καὶ Ὑσιὰς καὶ Ὀρνεὰς καὶ Μυκήνας καὶ Μιδέαν, καὶ εἰ δή τι ἄλλο πόλισμα οὐκ ἀξιόλογον ἐν τῇ Ἀργολίδι ἦν. *Mycenas*, satis constat, Olymp. LXXIX, a. 1. eversas esse; *Tirynthii* bello Persico florentes post intereunt [v]). Dryopes *Hermionenses* sub idem tempus subiectos esse, supra ostendimus. Iam idem de ceteris liquet. Tum enim Argivi, bellis Persicis non attriti, Argolide tota potiri conabantur. Si igitur Orneatae Argivis non ante bella Persica serviebant [w]): qui, interrogo, Cynurii ex antiquissimis temporibus Doriensibus subditi ab inimicis divexati cum Orneatis se consociasse et una cum ipsis subiecti esse possunt? Sed ex ipso Herodoti loco patet, *Orneatas* scriptoris tempore apud Argivos nomen fuisse generis περιοίκων vel πενεστῶν de oppido uno subiecto appellatum atque, si Orneatas nominat, Herodotum de his servis publicis, non de Ornearum incolis cogitasse. Quibus succurrit ipse Pausanias II, 25, 5. Orneatas dicens, postquam libertate essent spoliati, συνοί-

---

u) Strab. VIII, 382. Ὀρνεαὶ νῦν ἔρημοι, τὴν δὲ χώραν ἔσχον Ἀργεῖοι. Plut. de def. orac. p. 620. T. II, 644. Wytt. *ΟΡΝΕΑΤΑΙ ΑΠΟ ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ.* Paus. X, 18, 4. Ὀρνεᾶται οἱ ἐν τῇ Ἀργολίδι πολέμῳ σφᾶς Σικυωνίων πιεζόντων etc. Qui Orneatae manifeste nostri sunt Sicyoniae vicini et quia post regio Argivorum erat, in Argolide habitare dicti. cf. II, 25, 5. Situm describit Gell. Argol. p. 87. Orneus Erechthei Attici f. dicitur. Paus. II, 25, 5. Heyne ad Apollod. III. 15, 1. De nomine v. Wasseus ad Thuc. VI, 7. p. 382. Cf. Diod. XII, 81. XVI, 34. 39.

v) V. Her. IX, 28. Paus. V, 23, 2.

w) In Catalogo Il. B, p. 434. cum Phliasiis et Cleonaeis parent Agamemnoni, sed his haud multum dandum esse, vidimus. Orneatas vero diu posthaec libertatem servasse, probant bella cum Sicyoniis. Rei peritior, quam Drumannus Id. II, p. 434., est Vinding. p. 48.

συνοίκους factos esse Ἀργείοις, quo qua ratione a περιοίκοις diversi fuerint, scriptor innuit. Ea enim sequebantur Argivi consilia, ut incolas civitatum, quas prae longinquitate in ditione tenere nequibant, e sedibus patriis abductos civium supplemento in pagos vicinos distribuerent, e frequentia incolarum affore sperantes securitatem x). Ita ab Orneatis, urbe pristina desolata, Ὀρνεαὶ nomen acceperunt κώμη Ἀργείας, quam ab urbe distinguendam esse, luculenter docet Strabo y). Eam rationem firmant Asinenses. Nam et Hermionam, et Eionem, et Asinen, omnes Dryopum urbes olim in litore Argolidis australi inter Buporthmum et Struthuntem promontoria sitas fuisse, iam dudum intelligere debebant geographi. Qui enim, si secus fuisset, Strabo VIII, 360. a. Asinen τὴν Ἑρμιονικὴν, et Pausan. IV, 34, 6. τὴν πρὸς Ἑρμιόνῃ Ἀσίνην, qui Catalogus (560.)

Ἑρμιόνην Ἀσίνην τε βαθὺν κατὰ κόλπον ἐχούσας

appellare potuisset z)? Sed seduxit etiam Gellium Anglum Geographus VIII, 373. b. ἠρήμωσαν δὲ τὰς πλείστας πόλεις οἱ Ἀργεῖοι ἀπειθούσας. Οἱ δ' οἰκήτορες, οἱ μὲν ἐκ Τίρυνθος εἰς Ἐπίδαυρον ἀφίκοντο, οἱ δὲ ἐκ τῆς Ἑρμιόνης εἰς τοὺς Ἁλιεῖς καλουμένους, οἱ δὲ ἐκ τῆς Ἀσίνης — καὶ αὕτη δὲ κώμη τῆς Ἀργείας πλησίον Ναυπλίας — εἰς Μεσσηνίαν μετῳκίσθησαν. Scilicet Asinenses quoque, qui forte relicti erant, abducti vicum quendam prope Argos acceperant et de nomine urbis patriae nunc fere excisae Asinen dixerant a).

Ex quibus — si viris doctis probari possunt, hic non alienis — cum ad Herodoti locum iam satis lucis redundare putaverim: quis quaeso Larcheri manum et alioquin pinguem admittet, T. V, p. 490. in loco nostro, pro ἐόντες Ὀρνεῆται, ὥστε Ὀρνεῆται corrigentis?

Sed huic Herodoti commentario succedat historia Cynuriorum ipsa. Iam ante Lycurgum Echestrato Agidis et Eurypонte Soi filio regibus, trecentis fere ante Olympia-

---

x) Cf. Aristot. Pol. V, 2, 8. Plut. de virt. mul. p. 245. e.

y) VIII, 376. Eust. in Il. B, 571. Ceterum Orneae veteres non plane excisae sed colonia ex ipsis Argivis deducta habitatae esse videntur. Thuc. V, 67. Ol. 90, 3. a. belli Pelop. 14. Orneatas inter socios Argivorum numerat. Ap. eund. VI, 7. Diod. S. XIII, 81. Ol. 91, 1. urbs a Lacedaemoniis Argivorum exulibus data ab Argivis iterum diruitur. Sed Ol. 107, 1. Diod. XVI, 39. Orneatae rursus Megalopolitis cum Argivis contra Lacedaemonios auxilio sunt. V. qui de hisce ambigunt, Mansonem Sp. II, 432., et Schneiderum ad Arist. Pol. p. XXXIX.

z) Cf. Paus. II, 28, 2. 36, 5.

a) Hinc etiam Ptolemaeus Asinae eandem, quam Naupliae longitudinem, paremque atque Argis, latitudinem tribuit. p. 95.

dem primam annis [b]), Lacedaemonii, ut Pausanias refert, III, 2, 2. 7, 2. Κυνουρέας τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ ποιοῦσιν ἀναστάτους αἰτίαν ἐπενεγκόντες. ὡς τὴν Ἀργολίδα, συγγενῶν σφισὶν ὄντων Ἀργείων, λῃσταί τε ἐκ τῆς Κυνουριακῆς κακουργοῖεν καὶ αὐτοὶ καταδρομὰς ἐκ τοῦ φανεροῦ ποιοῖντο ἐς τὴν γῆν. Ita Cynuriaca Spartanis subiecta et Cynurii in perioecos mutati sunt. Mox Labota Echestrati et Prytani Eurypontis filio regibus [c]) Lacedaemonii Argivos accusant, τήν τε Κυνουρικὴν ἑλόντων αὐτῶν, ἀποτέμνεσθαι τοὺς Ἀργείους καὶ τοὺς περιοίκους σφῶν ὑπηκόους ὄντας ἀφιστάναι [d]). Atqui Argivos postea Cynuriaca potitos esse, probant Herodoti verba; quando potiti sint, fortasse sequenti capite apparebit. Hinc bellum Spartanorum et Argivorum de Thyrea, illud grave et diuturnum, ortum est, nec prius finitum quam Lacedaemonii Othryadae calliditate et Amphictyonum decreto eam regiunculam iterum receperunt [e]). Quam tamen sibi reddi poposcerunt Argivi etiam in bello Peloponnesiaco (Thuc. V, 41.): et coluisse sua aetate Argivos, iudicio iterum, ut videtur, Amphictyonico receptam, scribit Pausanias II, 38, 5.

Quae praemisi, tum quia a nemine satis exposita videbantur [f]), tum ut inde lux redundaret ad locum Polyaeni II, 13 explicandum, ubi Eurypon, Echestrati collega et Eurypontidarum eponymus, dum adversus Arcades bellum molitur, ut inter eos sibi factionem pararet, praeconem misisse dicitur, qui nunciaret· Λακεδαιμόνιοι παύονται πολεμοῦντες ἐάν γε τοὺς ἐναγεῖς ἐξελάσητε. Οὗτοι δέ εἰσι οἱ

---

b) Cynurios eiectos ponit Larch. a. C. 1044. Init. regni Eurypontis a. 1081., Echestrati 1074. Euseb. n. DCCCLIX. LXVI. Larcher. T. VII, p. 494. 587.

c) Euseb. n. DCCCCXCIV. Larcher a. C. 1035. 33. Belli cum Argivis init. a. C. 1032.

d) Paus. III, 2, 3. 7, 2. — Scal. Synag. p. 369. Meurs. de regno Lac. C. 15.

e) Ol. LIX, 1. Abunde de ea re viri docti, Meurs. Misc. Lac. IV, 3. Intpp. ad Luc. de salt. 274. Davis. ad Max. Tyr. Diss. VI, p. 59. Valcken. ad Her. I, 82. Intpp. ad Steph. *Κυνουρία*, *Θυρέα*, Ruhnk. ad Tim. Lex. p. 54. Toup. Emendd. in Suidam V. II, p. 514. Larcher. ad Herod. I, p. 349. (Simonidis Fragm. 23. ap. Gaisford. p. 367). Lacedaemonios eam proprio harmostere rexisse, e marmoribus didicisse vult Fourmont. Act. Ac. Inscr. XV, p. 417.

f) V. Larcher. ad Herod. T. I, p. 345. V, 454. Manso Sparta I, p. 72. Quaedam occupasse video iam Clavierum Hist. II, 107. *Cynuriam* inferserat Palmerius Exc. in Strab. loco Geographi I, 57. c. loco *Κυρηναίας*, inter quam et Cretam Thera sita esse traditur. Sed parum apte, ut intellexit Falconer. p. 84. 504. *Κυρίας* editorum Gallorum non melius quadrat. Mirum de difficultate tacere Casaubonum, Siebelim, Tzschuckium, quam auget error VIII, 347. b. repetitus et Steph. Byz. s. v. *Θηρασία*.

Αἴγιναν ἠρηκότες. *Arcades* Polyaeni non esse Arcades, quippe qui mare non noverint, sed esse *Cynurios* nostros, nulla esse potest dubitatio. Ex quo apparet, [illegible] Aeginetis, quippe Doriensibus, bellum vetus atque acre cum Peloponnesi his Aboriginibus exstitisse, et hosce in excursionibus in Argolidem etiam Aeginam cepisse et devastasse.

Quale vero fuerit *piaculum* illud, quod Cynurii Aeginam devastantes admiserint, certo affirmare non ausim; coniicio, violata Aeacidarum, heroum proprie Hellenum, religio iam tum Doriensibus communis et usque ad Macedonum tempora sanctissima, Hellaniique Iovis templum laesum. Spartanorum autem de Aeginetarum statu cura prodiit ex intima civitatum Doriensium coniunctione, de qua praestanter Plato de legg. III, 683, d. Quibus aliquid certe veri inesse, maxime ante foedus priscum odiis Argivorum et Spartanorum turbatum, dum Achaei nondum penitus devicti Dorienses a bellis internis avocabant, affirmare poterit Aepytus, Cresphontae filiorum maximus, a Ciso tum Argivorum principe et Spartanorum regibus coniunctis in regnum reductus [g]). Et eadem ratione, ut Argivos a latrociniis defenderent, Spartanos iam diximus, se Cynurios eiecisse professos esse.

§. 3. De Phidone, Rege Argivorum.

Cynurios cum mox Spartani ditioni suae subiecissent, Aeginae insulae quies et libertas reddita videretur, nisi ab ipsis cognatis in nova discrimina vocata esset. Tum enim Phido ille [h]), Aristodamidae, ut tradunt, filius Argivorumque ex omnium consensu Rex, idemque inter omnes tyrannos stirpe Doriensi ortos facile is qui maxima animo complecti ausus est, omnem Temeni hereditatem, quae tradebatur, recuperandam sibi proposuerat, nec sine specie iuris auctoritatem Aristomachi filio maximo a minoribus debitam etiam a posteris Cresphontae et Aristodemi sibi, Heraclidarum nunc principi, reddendam expoposcisse videtur. Ἐπιθέσθαι enim volebat, ut ait Strabo VIII, 358. b., καὶ ταῖς ὑφ᾽ Ἡρακλέους αἱρεθείσαις πόλεσι καὶ τοὺς ἀγῶνας

---

g) Isocrat. Archidam. c. 7. p. 180. L. Apollod. II, 8, 5. Pausan. IV, 3.

h) *ΦΕΙΔΩΝ*, quem Pollux in Onomast. IX, 6. *Φήδωνα*, Eustath. ad Il. B, 603. *Φειδίαν* s. *Φείδιον*, quod tamen iam Politus ex Herodoto, Pausania, Strabone, Etym. M. correxit, Plutarchus Amator. narr. p. 772. *Φίδωνα*, Isidorus denique Origg. XVI, 24. Sidonem appellat, omnes emendandi. Nomen Thesproticum est Od. Ξ, 316.

τιθέναι οὓς ἐκεῖνος ἔθηκε. Nec multum aberat, quin eventus coepta eius exaequasset. Cuius historia cum sit in obscurioribus et quae critica opera maxime indigeat, viâ, quamvis iucundiore, quae de eius potentia et institutis magnifica referuntur, concinne componendi neglectâ, iam inde ab initio, quid ipsi conveniat, quid minus, quid veri speciem prae se ferat, quid efficti, ut postea de aetate viri potius e rebus, quam ex auctoritatibus statuendi copia detur, est disputandum.

Ubi ne in errorem Frereti delabamur, imprimis id tenendum est, Herodoti (VI, 127.) ὑβρίσαντα μέγιστα Ἑλλήνων ἁπάντων, Strabonis (VIII, 358. b.) δυνάμει ὑπερβεβλημένον τοὺς κατ' αὐτὸν, Pausaniae (VI, 22, 2.) τυράννων τῶν ἐν Ἕλλησι μάλιστα ὑβρίσαντα [i]), Plutarchi (narr. amat. p. 772.) Ἀργείων πόλιν ἡγεμονεύειν τῶν λοιπῶν βουλόμενον, Dexippi (ap. Euseb. Chron. I, 57.) τῆς ὅλης Πελοποννήσου imperium tenentem, a scriptoribus certe unum eundemque esse habitum. De quo quidem utrum vera an falsa tradiderint, quaestio est ab hac bene distinguenda.

Primum id moneo, Phidonem nostrum nequaquam, ut e nomine tyranni apud Herod. VI, 127. et loco Pausaniae [k]) coniicere possis, in civitate libera summum sibi arripuisse imperium, sed ab origine Heraclidam et Temenidam, ut sub idem fere tempus Eratus et Damocratidas [l]), lege et iure fuisse regem, Argivorum tamen instituto magnopere impeditum et refrenatum, mox autem iis vinculis ruptis dominationem occupasse intemperatam. Unde βασιλεύοντα τῆς Ἀργείας recte appellat Dexippus [m]) regiumque ita apud Argivos munus etiam per bella Persica durasse et postea demum esse abdicatum, probat Herodotus VII, 149. [n]).

Qui autem, ut Strabo ait, τὴν λῆξιν ὅλην ἀνέλαβε τὴν Τημένου διεσπασμένην εἰς πλείω μέρη, eum consentaneum videtur imprimis Corinthum recuperasse. Etenim cum fabulae, quae de partitione Heraclidarum, fortasse iam tum, circumferebantur, tres tantum Peloponnesi partes agnoscerent, Corinthum Temeni sortis esse putatam, consenta-

---

i) Uterque Codex Facii p. 214. ὑβρισάντων. Fortasse τύραννον τῶν ἐν Ἕλλησι μάλιστα ὑβρισάντων.

k) II, 19, 2. Μέλταν τὸν Λακίδεω τὸν ἀπόγονον Μήδωνος τὸ παράπαν ἔπαυσεν ἀρχῆς καταγνοὺς ὁ δῆμος.

l) Paus. II, 36, 5. IV, 35, 2.

m) Ap. Euseb. Chron. p. 57. V. et Schol. Apoll. Rh. IV, 1212.

n) Cf. Aristot. Pol. V, 8, 4. p. 218. Schn. haec auctoritate sua firmans. Quae de *Aegone* Plutarch. T. II. p. 393. ea, si vera sunt, tempori multo posteriori assignanda sunt. —

neum videtur o). Et eximie quadrat Plutarchus Phidonem tyrannum πρῶτον ἐπιβουλεύσαι Κορινθίοις scribens. *Postulasse autem eum*, narrant, *a Corinthiis mille iuvenes, civitatis florem atque robur, et misisse Corinthios duce constituto Dexandro. Quos cum Phido, quo facilius Corintho potiretur, e medio tollere in animo haberet, eum ab Abrone, Dexandri hospite, cum quo consilia communicasset, esse proditum. Quem Abronem*, Plutarchus addit, *aufugisse Corinthum, Melissum ipsius filium suscepisse Actaeonem, hunc dum rapere tentâret, interfecisse Archiam Heraclidam, et peste oborta fugere iussum condidisse Syracusas.* In quibus etiamsi singula quaedam fabulis fucata esse non infitier, universae tamen narrationi tum alii scriptores fidem addunt, tum quo eam pro ficta habuerim, nullum habeo argumentum p).

Post Temeni mortem primus Argis secesserat Deiphontes, Doriensium Epidauriorum conditor. Nonne igitur, qui Temeni hereditatem vel sortem, quam fabulae Temeno assignabant, recuperandam sibi proposuerat, primum E p i d a u r o vicina potitus erit? Epidauri vero coloniam esse Aeginam, supra ostendimus. Hinc, ut coloniae fortunae metropoleos sociae etiam cum ipsa servire solent q), sic A e g i n a m Phidonis imperio cum Epidauro fuisse subditam, facile evincitur, ita ut Herodoti I, 82. verba ἦν δὲ Ἀργείων Κυθηρίη καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν νήσων etiam Aeginam spectare putaverim. Quibus accedit Aeginae cum Argivis intima coniunctio, Aeginetae vulgari fama Doriensium Argivorum coloni, et eorum, etiam vinculis cum Epidauro disruptis, continua cum Argivis προξενία. V. Her. V, 85. cf. VI, 92. Sed hasce ratiocinationes mirifice adiuvant, quae loco suo afferemus, scriptorum loca luculenta.

---

o) V. Paus. II, 4, 3. Strabo VIII, 389. d. Scymn. 526. Didym. ap. Schol. Pind. O. XIII, 17. Vellei. Paterc. I, 6. Quanquam enim dissentit Diodorus ap. Euseb. Chron. p. 35. *Corinthum exceptam esse a divisione* tradens: Aletam tamen Heraclidam trigesimo demum post reditum anno eam occupasse, rectius praeter Didymum affirmat Conon ap. Phot. Cod. 186. p. 427. cf. Larcher. Her. VII, 523. Clavier. T. II, p. 61. Ruhnken. ad Vellei. I, 4. p. 12.

p) Referunt eadem Schol. in Apoll. Rh. IV, v. 1212. (p. 319. 617. Schaefer) et ita ut appareat, ea e scriptore a l i o, quam Plutarcho, et a n t i q u i o r e quidem fluxisse. Quae de Abrone, *μέλλοντας Κορινθίους ὑπὸ Φείδωνος τοῦ Ἀργείων βασιλέως διαφθαρῆναι ἐῤῥύσατο.* Eidemque historiae auctoritatem suam addunt Diod. S. Exc. II, 228. p. 548. Wess. et Parthen. Erot. c. 14.

q) Transibant enim filiarum officia etiam in neptes, *ἐκ τοῦ παλαιοῦ νόμου* duce e priore metropoli accessito conditas. V. Thuc. I, 4. VI, 4. Plut. Themist. p. 123. Aristid. Panath. p. 114. Spanhem. de usu num. I, p. 570. sq.

Verum locum Herodoti I, 82., cuius modo mentionem iniecimus, Ἦν δὲ καὶ ἡ μέχρι Μαλεῶν ἡ πρὸς ἑσπέρην Ἀργείων, ἥ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ χώρη καὶ Κυθηρίη νῆσος καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν νήσων iam diligentius expendamus [r]). At enim hoc Laconiae litus nec Temenus tenuit, quippe cui vix Argi parebant, (v. p. 39. 41.) nec Temeni sortis esse poterat, etiamsi omnino de finibus sortitione constitutum esse, unquam concedi posset. Neque, qua ratione, si Spartani, ut Pausanias affirmat, primi Cynuriacam subiecerant, si Argivos, *quod Cynurios, Spartanorum perioecos, ad defectionem sollicitarent*, accusaverant, litus Laconicum ab initio Argivorum esse potuerit, intelligo. Echestrato igitur et Euryponte regibus haud dubie Lacedaemonii oram a Thyrea Maleas usque porrectam tenebant; Olympiade autem undesexagesima easdem Thyreas Herodoto teste iterum recuperant Lacedaemonii. Neque ii bellum illud de Thyreatide unquam suscepissent nisi ora hac, quae sola aditum ad Cynuriam praebebat, prius occupata. Necesse igitur est inter Echestrati tempus et Olympiadem undesexagesimam Laconiae litus in ditionem Argivorum venisse. Quando autem nisi Phidone rege? Nam ante Phidonem summam Peloponnesi penes Spartanos fuisse, eversoque ad eosdem rediisse, tum Strabonis testimonio [s]) tum argumentis mox afferendis comprobatur.

Iam vero ultra terminos Peloponnesi Phido haud immemor, Doricum genus olim, cum Pindum habitaret, fuisse Μακεδνὸν καλεόμενον (Her. I, 56.), Caranum fratrem copiis et opibus suis auctum, δύναμιν λαβόντα παρὰ Φείδωνος τοῦ ἀδελφοῦ ἔκ τε Ἄργους καὶ τῆς ἄλλης Πελοποννήσου [t]), ad sedes gentis avitas delegavit. Qui inde in Macedoniam delatus regiae Caranidarum stirpis auctor factus est. Controversae quidem concedo, et suspicionum plenae sunt omnium regnorum origines: tamen ab Heraclidis Argorum Macedonum reges oriundos esse, et Herodoti tempore constans fama erat, neque ipse populus Argivus, dum ad Philippum Macedonem Heraea Nemeaque curanda defert, ignorat [u]): quis vero illum de Perdiccae fratribus rumorem,

---

r) Manso in Sparta p. 72. hanc Argivorum in Laconia ditionem e coniunctione Argorum et Spartae Oreste Rege deducit. Clavier Hist. II, p. 265. nihil affirmat.

s) VIII, p. 358. Lacedaemonii evertunt Phidonem ἀφῃρημένον αὐτοὺς τὴν ἡγεμονίαν τῶν Πελοποννησίων, ἣν προσεκέκτηντο.

t) Dexipp. ap. Euseb. Chron. I, 57. cf. 45. et n. MCCIII. Scaliger ad l. p. 60. Vinding Hell. p. 35.

u) Liv. XXVIII, 30. et XXXII, 22. et Duker. ad loc. priorem. Sed memorandum, Argivos et hunc Philippum veteri stirpi adnumerasse.

vel tragicorum de Archelao fabulas [v]) amplecti malit, quam Dexippi et Julii Africani Caranum Phidonis fratrem?

Sed pergamus reliqua. Phido enim, cum fabulae de Hercule sua superstruens iura, omnia quae illum expugnasse, condidisse, tenuisse fama apud Dorienses tradiderat, et sibi vindicandi consilium mente repositum teneret, quoniam etiam Olympia sacra ab universis Peloponnesiis sanctissima habita ab Hercule condita ferebantur [w]), accitus a Pisatis ἐξαναστήσας τοὺς Ἠλείων ἀγωνοθέτας αὐτὸς τὸν ἐν Ὀλυμπίῃ ἀγῶνα ἔθηκε [x]). Cuius ludicri condendi potestatem antiquitus tenuerant Pisatae, exuerat eos in reditu Heraclidarum gens Elea exinde sacra et quae armis non indigeret habita. Tum vero, Strabo refert, etiam Eleos ὅπλα κτήσασθαι καὶ ἀρξαμένους ἐπικουρεῖν σφίσιν αὐτοῖς. *Adiuvisse eos Lacedaemonios vel pacis turbandae cupidos, vel Phidonis evertendi socios sese eos habituros esse sperantes*, καὶ δὴ καὶ συγκαταλῦσαι τὸν Φείδωνα.

Vidimus Phidonem bellatorem. At huic viro Doriensium fabula duplices tribuebat partes, alteras militiae, alteras pacis. Utrasque, ne dubites, coniungit iam Herodoti locus laudatus, τοῦ τὰ μέτρα ποιήσαντος καὶ ὑβρίσαντος μέγιστα δὴ Ἑλλήνων ἁπάντων, item Ephorus apud Strabonem, aliique plures. Is enim Argivorum tyrannus cum Argolidem totam, Laconiae partem, Corinthum, Elidem, Macedoniam sibi subiecisset, regnum pacat, leges condit, respublicas in ordinem redigit, multa laudabiliter instituit.

Iam nobis quaestio de Phidone in Corinthiacis obvio iterum suscipienda est. Est sane, haud nego, Phido omnius consensu Ἀργεῖος ἀνήρ, ut Pollux X, 48, *Phido Argivus*, ut Plin. VII, 56., sed idem Κορίνθιος ap. Schol. ad Pind. O. XIII, v. 27. Nam eundem esse ex ipsis his verbis ἐπειδὴ Φείδων τις Κορίνθιος ἀνὴρ εὗρε μέτρα καὶ σταθμία intelligitur. Corinthios autem modos et numos Aeginaeis eosdem ac vere Phidoneos esse, alibi apparebit. Itaque recte Didymus (ad v. 36.) ὅτι Φείδων ὁ πρῶτος κόψας Κορινθίοις τὸ μέτρον Ἀργεῖος ἦν. Quidni concedamus, Phidonem, quanquam primum ipsius impetum repulsum vidimus, post tamen Corinthiis imperasse, Corinthiis numos signasse, et usu eiusmodi nominum vago Corinthium dici potuisse? At examinemus locos Aristotelis in Politicis de Phidone hos.

---

v) Herod. VIII, 137. 138. V, 22. et ibi Valcken. p. 382. Thucyd. II, 99. Sibylla ap. Pausan. VII, 8, 5. Intpp. ad Vellei. I, 6, 4.

w) Laudo Ἡρακλέους πράξεις Tb. 1. l. 61. *ΕΙΣ ΠΙΣΑΝ ΕΛΘΩΝ ΔΙΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ ΑΓΩΝΙΣΣΑΤΟ ΚΑΙ ΑΓΩΝΑ ΤΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΠΡΩΤΟΣ ΑΓΩΝΙΣΤΗΣ* ἐνίκασε. Marini Ville Alb. p. 152. etc.

x) Herod. VI, 127. Str. VIII, 358. Paus. VI, 22, 2.

L. V, 8, 4. p. 218. Schn. exemplum adducit, οἷον Φείδων μὲν περὶ Ἄργος καὶ ἕτεροι τύραννοι κατέστησαν βασιλείας ὑπαρχούσης, ubi Phido haud male *tyrannus circa Argos* appellatur. Altero loco II, 3, 7. p. 53. Φείδων ὁ Κορίνθιος, νομοθέτης ὢν τῶν ἀρχαιοτάτων τοὺς οἴκους ἴσους ᾠήθη δεῖν διαμένειν καὶ τὸ πλῆθος τῶν πολιτῶν, καὶ εἰ τὸ πρῶτον τοὺς κλήρους ἀνίσους εἶχον πάντες κατὰ μέγεθος y). Potest Aristoteles de instituto vetere Corinthiorum, quod ad Phidonem legislatorem referebant, certior factus, quis ille Phido fuerit, ipse dubitasse. Neque equidem de ea re aliquid pro comperto venditare ausim: distinguit certe ab Argivo Corinthium praeter eos, qui tres quatuorve Phidones statuerunt, Heynius (Opuscc. Academ. II, p. 255.). Sed Corinthio nihilo notior, imo obscurior est Phido ille Cumaeus, ἀνὴρ δόκιμος, qui teste Heraclida Pont. p. 22. πλείοσι μετέδωκε τῆς πολιτείας.

Talibus autem consiliis Phido noster intentus primus unum idemque mensurarum, ponderum, modorumque genus, (nam mensuras multum antiquiores esse, quis negat z)?), per totam Peloponnesum instituendum decrevit. Ita enim, iam quisque videt, locum Herodoti VI, 127., ὁ τὰ μέτρα ποιήσας Πελοποννησίοισι a) ceterosque omnes esse explicandos. Quo retulit Iulius Pollux Onom. X, s. 179. etiam vas olearium, Φειδώνα dictum, nempe quia guttatim tantum oleum reddebat, εἴη δ' ἂν, dicens, καὶ Φείδων τὶ ἀγγεῖον ἐλαιηρὸν ἀπὸ τῶν Φειδωνείων μέτρων ὠνομασμένον, et equorum frena Didymus ad Pind. O. XIII, 27.

Τίς δὲ ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα ἔθηκε;

uterque erroribus deceptus, quales in eadem re etiam admiserunt Salmas. de usur. p. 430. et Larcherus p. 32. Neque unquam crediderim scriptoris cuiusdam Attici tempore Phidoneas mensuras usquam in usu fuisse. Si erant, solitis non minores, sed maiores fuisse oportet. Nam auctorem de characteribus, qui c. 15. (30.) avarum Φειδωνίῳ μέτρῳ

---

y) E lege ista Phidonea, de qua Barthelemyus Anach. T. II, c. 36. 370. (ed. 4.), Corinthi coloniarum multitudinem defluxisse notandum est.

z) V. Salmas. de usur. p. 429. Heyne ad Homer. T. V, p. 389.

a) Id est, qui numorum rationem instituit a Peloponnesiis ratam habitam, eadem ratione, qua Homerus Hesiodusque οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι dicuntur. — Ad nostra Strabo μέτρα ἐξεῦρε τὰ Φειδώνεια καλούμενα καὶ σταθμοὺς καὶ νόμισμα κεχαραγμένον, τό τε ἄλλο καὶ τὸ ἀργυροῦν, Plin. H. N. VII, 57. *Mensuras et pondera Phidon Argivus invenit.* Isidor. Origg. XVI, 24. *Primus Sidon Argivus ponderum rationem in Graecia instituit, licet alii antiquiores exstiterint, sed iste hac arte experientior fuit*, et Africanus ap. Euseb. p. 37. Φείδων Ἄργους κρατῶν μέτρα καὶ σταθμὰ πρῶτος ἐφεῦρεν. — Egit de iis Aristot, Ἀργείων Πολιτείᾳ.

τὸν πύνδακα ἐγκεκρουσμένῳ metiri scribit, quis non concedet, verae rationis ignarum de sono tantum vocis ludere b)?

Tum Phido instituit officinam numariam, non, ut Salmasius olim putavit, laminis aereis argenteisque huc usque pondere solum aestimatis nunc primum ad morositatem appendendi devitandam signo notave inscriptis, sed, (ut praeclare Etym. M. s. v. Οβελίσκος· πάντων πρῶτος Φείδων ὁ Ἀργεῖος νόμισμα ἔκοψεν ἐν Αἰγίνῃ καὶ διὰ τοῦτο τὸ νόμισμα ἀναλαβὼν τοὺς ὀβελίσκους ἀνέθηκε τῇ ἐν Ἄργει Ἥρᾳ,) iam loco obelorum maxime molestorum numis quamvis rudibus signatis c). Instituit autem officinam eam in Aegina, insula ipsius dominationi subiecta, loco opportunissimo sita, inter gentem sedulam et industriam eamque iam tum mercatura et fortassis arte florentem. Cuius sententiae princeps est Ephorus apud Strabonem: ἐν Αἰγίνῃ ἄργυρον πρῶτα, dicens, κοπῆναι ὑπὸ Φείδωνος d). Qui, si Phido Aeginae imperavit, bene consentit cum Aeliano V. H. XII, 10. πρῶτοι νόμισμα ἐκόψαντο Αἰγινῆται. Quo omnes facile dissipantur quaestionum nebulae, quas loco huic offuderunt viri divae Monetae sacri e); numi Phidonei, eo nomine postea ob odium tyranni exterminato, instituto autem, ut Graeci facere consueverunt, observato, Aegineticis iidem apparent; his igitur summae antiquitatis laus, quam iam ponderis gravitate merebant, vindicatur, reiectis et explosis tum commentis eorum qui animo Atheniensibus addictiore et hoc inventum Athenarum temporibus fabulosis attribuerunt f),

---

b) V. Duport. et Schneider. ad. l. Add. Palmer. Excerc. p. 620.

c) Apud Pollucem IX, 6. pro ἔγραψε νόμισμα πρῶτος (p. 1062.) Polit. ad Eustath. ἐχάραξε coniecit. Cf. Sperling. de numis non cusis p. 225.

d) Eustath. ad Il. E. p. 604. ἐκόπη δὲ καὶ ἀργύριον πρῶτον ὑπὸ Φειδίου ἐνταῦθα καὶ ἣν φασὶν ἐξαίρετόν τι ἐν ἀργυρίοις ὁ Αἰγιναῖος ὀβολός. Marmor Par. p. 25. ep. 31. Ἀφ' οὗ Φ(εί)δων ὁ Ἀργεῖος ἐδημ(εύθη καὶ μέτρα καὶ σταθμὰ) ἐσκεύασε καὶ νόμισμα ἀργυροῦν ἐν Αἰγίνῃ ἐποίησεν. Ita restitutum est. *Ex quo Phido proscriptus est.* Quo nihil ineptius, quanquam multis defendit Larcher. p. 29. Marm. Oxon. nov. p. 24. l. 45. *ΕΔΗΜΕΥΣ · · ΝΕΥ · · · · · · · ΕΣΚΕΥΑΣΕ.* (Etiam Forsteri apographum in Biblioth. R. Berolinensi) Fort. ἐδημεύσατο μέτρα, σταθμὰ ἐσκεύασε, *mensuras publice instituit et pondera fecit.* — Cf. Harduin ad Plin. l. l. Perizon. etc. ad Aelian l. l. Lydiat. etc. ad Marm. Par. l. l. Scaliger. ad Euseb. p. 61. Wachter in Archaeol. numar. c. 5. Tzschucke ad Mel. III, 2, 705.

e) V. Rasche Lex. Num. s. Vv. Phido et Aegina.

f) V. Pollux. l. l. c. Intpp. Plut. Thes. p. 11. Plin. 7, 58. Nic. Pinelli Add. in Graev. Thes. IX, 493. Cael. Rhodigin. Lect. antt. l. 21. Ceterum quaeque fere natio eam gloriolam affectabat; in Phidone plurimi consentiunt. V. Barthelem. in Act. Ac. Inscr. T. XLVII, p. 149. Eckhel D. N. I, c. 3. p. 8.

tum opinione recentiorum, qui contra antiquitatis constantem famam numos temporum non Phidonis sed Solonis inventum dictitant. De Etymologico M. denique s. v. Εὐβοϊκὸν νόμισμα id eo nomine appellatum esse tradente, ἐπειδὴ Φείδων ὁ Ἀργείων βασιλεὺς ἐν Εὐβοίᾳ χωρίῳ τοῦ Ἄργους [g]) πρῶτος ἔκοψε χρυσὸν νόμισμα quid statuendum sit, ex his est manifestum. Etenim Euboica numorum norma ab Aeginetica ita diversa, ut ne componi quidem possit [h]), cum contra compertum habeamus, Phidonem unum pondus eandemque modorum rationem constituisse, non nisi de Chalcidensium Eretriensiumve mercaturis nomen accipere poterat.

Quibus praemissis iam novam nobis videmur viam munivisse ad aetatem Phidonis non ut ante factum est e genealogiis vel chronographorum auctoritatibus, sed ex ipsis rebus gestis, quas antiquitatis consensus viro tribuebat, definiendam.

Confert locus Plutarchi Phidonem cum **Archia**, Syracusarum conditore. Quas cum et veteres chronologi [i]), Olymp. XI, a. 2. conditas esse tradiderint, et eodem scriptorum antiquiorum loci ferant [k]): iam inde ad Phidonem conclusio est. Statuamus priorem in Corinthios expeditionem circa **Olympiadem tertiam** esse factam. Moritur Abro, Melissus eius filius filium gignit Actaeonem, hunc Archias dum rapere tentat, interficit et peste oborta fugere cogitur [l]). Quae omnia apparet triginta annorum spatio contineri, et computationi bene conveniunt.

Caranum Macedonem Phidonis fuisse fratrem, haud improbavimus. A Carano autem Diodorus Alexandrum eiusdem stirpis decimum sextum numerat, eumque a gentis conditore abesse scribit *annis quadringentis*. Cui si fides est, quam non video cur ei derogemus, Carani constitutio incidit in Olymp. XI, a. primum. At eundem Cara-

---

g) De quo v. Strabo X, 449. d. Steph. Byz. s. v. *Εὔβ.*

h) V. Herod. III, 89. et Aelian. V. H. I, 22.

i) Euseb. Chronic. n. 1283. Scal. ad Euseb. p. 70. Intpp. Marm. Par. ep. 32. Dodwell. Ann. Thuc. p. 39. 40. Cors. F. A. III, p. 11. Larcherus Her. VII, p. 446. et hic in Marmoris sententiam cedit.

k) Cf. Thucyd. VI, 3. cum Ephoro ap. Scymn. et Strabonem VI, 267. c.

l) Nescio quantum veri celet hic μῦθος ἐρωτικός. Celat tamen. Marmori Pario l. 47. Archias est *ΔΕΚΑΤΟΣ ΑΠΟ ΤΕΜΕΝΟΥ*. Corinthi vero ubi Temenidae? Num Bacchiadae? **Argivus** igitur fortassis erat Archias, fortasse Phidonis amicus et in vim contra Melissum subornatus, tyranno autem exciso a Corinthiis eiectus. Nescio.

num Velleius I, 6, 4. tradit, *virum generis regii, sextum decimum ab Hercule, profectum Argis regnum Macedoniae occupasse.* In quibus Velleium, non arbitror, genealogias Carani ante oculos habuisse, sed inversa ratione e scriptore Graeco de eius aetate edoctum, cum Herculem vulgata chronologia anno ante nostram aeram MCCLXX assignaret, decimam inde sextam aetatem in annum DCCXXXVI computasse. Qui cum sit Olymp. XI primus, iam vides Velleii et Diodori rationes ne anno quidem discrepare [m]).

Post haec de tempore agonothetarum pulsorum quaerenti iam obvius est Pausanias, qui eas Olympiades dinumerans, quas Elei, quippe quibus alieni ludos instituerint, Ἀνολυμπιάδας dictas lacuna in tabulis denotaverint, (quanquam victorum nomina non ignorat Africanus ap. Euseb. I, p. 39.), Πισαῖοι δὲ ait, VI, 22, 2., ἐφειλκύσαντο αὐθαίρετον συμφοράν, ἀπεχθανόμενοί τε Ἠλείοις καὶ σπουδὴν ποιούμενοι τιθέναι τὸν Ὀλυμπικὸν ἀγῶνα ἀντὶ Ἠλείων· οἵ γε Ὀλυμπιάδι μὲν τῇ ὀγδόῃ τὸν Ἀργεῖον ἐπηγάγοντο Φείδωνα τύραννον τῶν ἐν Ἕλλησι μάλιστα ὑβρισάντων, καὶ τὸν ἀγῶνα ἔθεσαν ὁμοῦ τῷ Φείδωνι.

Quibus si quid veri inest, ea omni temporum ratione probari necesse est. Et probantur. Charilao rege, qui Lycurgi aetate paulo minor est, Lacedaemonii Argivorum agrum igne ferroque vastant [n]). Sub Olympiadum initium iidem duce Nicandro Charilai filio, et sociis Asinaeis, adversus Argivos militant, tum ut apparet ne Argolidis quidem dominos. Quae ulturus Eratus, Argivorum rex, Asinaeos ex Argolide exturbavit [o]). Olympiade autem XV (anno Euseb. MCCXCV) bellum Argivorum et Spartanorum de Thyreatide vel potius, ut rectius dicemus, de universo illo Laconiae litore ortum traditur; quod, si Phidonem inter Argivos primum regiones illas occupasse iure posuimus, manifestum est non nisi eo deiecto oriri potuisse. Incidit igitur tempus potentiae Phidonis in initium belli Messeniaci prioris, inter Olymp. VIII et XIV gesti. Quo nullum tempus opportunius esse potest. Eodemque, si et haec addere vis, numi Solonis et Polycratis tempore iam adulterini, pecuniae Sybariticae aetas fixa, monetae Magnae

---

m) Clavierus T. II, p. 182. Velleii unum librum ms. hoc loco corruptum esse putat. Quo iure, perspicuum est. — Cf. Iustin. VII, 1. Solin. c. 15. Suid. s. v. Κάρανος. Scalig. ad Euseb. p. 64. Can. Isag. 343. Wessel. Diod. fragm. p. 637.

n) Paus. III, 7, 3.

o) II, 36, 5. III, 7, 5. IV, 8, 1. 14, 2. 34, 6

Graeciae vetustas, aliaque eiusmodi ducent. V. Eckhel. D. N. Proleg. I, p. IX.

Quibus quid assecuti simus, nemo non videt, haud dubie, si quid in his certum, certiora, quam e genealogiarum numeris extorserunt veteres et recentiores. Quarum computatione quamvis nihil sit fallacius, neque in quo scriptores magis discrepent: equidem tamen omnium ea minime aversor, quae tradit Ephorus ap. Strab. VIII, 358. *Phidonem fuisse* δέκατον ἀπὸ Τημένου p). Enimvero ad reges Spartanos respiciens, decimum ab Aristodemo, Temeni fratre, reperies Polydorum, quo regnante conditur Croton, Olympiade ferme decima septima q): et vides etiam hanc computationem a Diodoro, Pausania ceterisque non abhorrere.

Genealogiis quodam modo accensendus est locus Herodoti, VI, 127: in enumerandis Agaristae procis Φείδωνος τοῦ Ἀργείων τυράννου παῖδα Λεωκήδη nominantis, Φείδωνος δὲ τοῦ τὰ μέτρα ποιήσαντος Πελοποννησίοισι καὶ ὑβρίσαντος μέγιστα δὴ Ἑλλήνων. Cui si fidem habes, cum Clisthenes, Agaristae pater et Sicyoniorum tyrannus, altera Pythiade, Ol. IL, 2, curru vicerit; vix fieri poterit, ut Phidonem illum ultra Olymp. XXX removeas. Nam Gronovii Palmeriique coniecturas, quae non displicent Valckenario, Λεωκήδης, ἀπὸ Φείδωνος δὲ τ. Ἀ. τυρ. sive τυράννου δὲ Φείδωνος ἀπόγονος, iam quae proxime sequuntur, τούτου δὴ παῖς, refellunt; omnem denique manum criticam loci color ingenuus et nativus removet. Unde me nihil videre fateor, nisi Herodotum non mendosum, sed falsum, historiarum Peloponnesi minus gnarum Leocedis patrem e fama quadam obscura cum antiquiore et illustriore illo Phidone permutasse.

At iam videamus, qua ratione eandem quaestionem tractaverint chronographi, in qua quibus vitiis laboraverit et laboret horum temporum chronologia, lucidissime perspicitur. Duabus enim praecipue fulta est rationibus, altera aetatum heroicarum regumque successionis computatione e temporibus fabulosis usque ad respublicas liberas deducta, altera γενεαῖς e tempore belli Persici primorumque historicorum ad saecula priora recedentibus. Quae duo Chronologiae elementa a chronographis confusa et conturbata lacunam tamen, quae solidanda inter ea relinquitur, ita celare non potuerunt, ut non interdum ut in Phidone nostro deprehenderetur. Duas enim potissimum habent

---

p) Nam qui cum Xylandro ἀφ᾽ Ἡρακλέους corrigunt, iis scriptori veracissimo mendacia suggerere curae est.

q) Euseb. 1313. Scalig. in Coll. Olym. 1308. Heyne Opuscc. Ac. II, p. 178. sq.

Chronographi aetatis Phidoneae computationes. Alteram Marmor Parium: cui Phido est *undecimus ab Hercule.* Hunc si circa numerum Eusebianum DCCLXIII a. C. MCCL ponimus, (quam fere esse Marmoris sententiam, ex epocha undecima colligi potest,) aetas inde undecima computatur in annum a. C. DCCCVC, eundemque Marmoris Parii DCXXXI. Iam evolve Marmoris epoch 31. (Marm. Oxon. p. 25. l. 46.) Ἀφ' οὗ Φείδων ἐδημεύσατο μέτρα κ. τ. λ. ἑνδέκατος ὢν ἀφ' Ἡρακλέους, ἔτη ΠΗΔΔΔΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν (Φερεκλέ) ους, atque nega, Phidonis tempus nonnisi e numero *undecim ab Hercule aetatum* computatum esse [r]). Cui errori, quo Phido nonnullis ante Lycurgum annis collocatur, etiam opinio vulgata, *Lycurgum numos Spartae suae interdixisse, itaque, si Phido primus numos signaverit, eum ante Lycurgum signavisse necesse esse*, subvenerat. Sed in his etiam nuperrime ab Heerenio (in Idear. de Polit. et Comm. III, 1. p. 286.) magnopere erratum est. Lycurgum enim, si omnino interdixit, de quo iure dubitat Manso Sp. I, 1. 162., perspectum est, non aureos numos, sed aurum, non pecuniam signatam, sed argenti usum interdixisse.

Alteram rationem sequitur Eusebius, qui quamvis p. 45. ex Africano, *Phidonem ab Hercule esse undecimum*, affirmet, in ipsa tamen computatione numero tantum regnorum Macedoniae supputato Caranum ad a. MCCIII, indeque Phidonem ad MCCXVII, XLII [s]) ante palmam Coroebianam annis, collocat. Quas genealogias ut omnino infringamus, quae eiusdem Chronicon e Dexippo servavit, proferamus [t]). Γενεαλογοῦσι, ait, Κάρανον οὕτως, ὡς φησιν ὁ Διόδωρος (ap. Wessel. fragm. p. 637.) καὶ οἱ πολλοὶ τῶν συγγραφέων, ὧν εἷς καὶ Θεόπομπος. Κάρανος Φείδωνος (scilicet frater, Wess. ad IV, 68.) τοῦ Ἀριστοδαμίδα, τοῦ Μέροπος, τοῦ Θεστίου [u]), τοῦ Κείσου [v]), τοῦ Τημένου, τοῦ Ἀριστομάχου, τοῦ Κλεοδάμου [w]), τοῦ Ὕλλου, τοῦ Ἡρακλέους. Similia Theophilus ad Autolycum [x]) e Satyro excerpta: Διο-

---

r) Iniuste Porson. in Museo Critico I, p. 235. et hoc marmoris nostri inculpat.

s) Apud Scaligerum MCCIV, annis XXIII ante primam Olympiadem.

t) In Thesaur. Tempp. 57. Syncelli Chronogr. 262. cf. R. Reinecc. Synt. T. II, p. 374. Saxi tb. Geneal. 12.

u) Ita Wess. et Larch. p. 46. Vg. *Θεοστίου.*

v) Vg. *Κισσίου.* w) Ita scribendum. Vg. *Κλεαδάτου. Κλεόδαιος* autem v. – *αος* modo e *Κλεόδαμος* modo e *Κλεόλαος* defluxit.

x) II, c. 7. In calce Iustini ed. Paris. p. 352., Frcf. 85. cf. Heyne ad Apoll. p. 209.

νύσου καὶ Ἀλθαίας τῆς Θεστίου γεγενῆσθαι Δηϊάνειραν. τῆς δὲ καὶ Ἡρακλέους τοῦ Διὸς Ὕλλον, τοῦ δὲ Κλεόδημον, τοῦ δὲ Ἀριστόμαχον, τοῦ δὲ Τήμενον, τοῦ δὲ Κεῖσον, τοῦ δὲ Μάρωνα, τοῦ δὲ Θέστιον, τοῦ δὲ Ἀκοόν, τοῦ δὲ Ἀριστοδαμίδαν, τοῦ δὲ Κάρανον etc. Qui Satyrus cum de δήμοις Ἀλεξανδρέων scripserit, suspicio est, eum ad Thestidem Maronidemque explicandam tum Maronem finxisse tum Thestii nomen iterasse. Dionysias enim, Thestias, Maronis, et haec quidem a Marone Thrace Bacchique insigni cultore denominata inter Alexandrinorum tribus erant, pravo Ptolemaeorum studio ex Hercule et Baccho genus suum deducentium y). Qua etiam manifestiorem corruptionis culpam sustinent ἔνιοι illi apud Eusebium, Caranum dicentes esse Ποιάντος τοῦ Κροίσου, τοῦ Κλεοδάμου, τοῦ Εὐρυβιάδα, τοῦ Δεβάλλου, τοῦ Λαχάρους, τοῦ Τημένου, nomina Thessala, Illyrica et Spartana temere confusa et perturbata.

Marmoris autem Parii Eusebianasque rationes in toto computationis genere discrepare non intelligens contulit in Actis Ac. Inscr. T. XLVI, p. 27 — 50. Larcherus et cum Pausania eo potissimum, quod hic octavam non Coroebi sed Iphiti Olympiadem designaverit, conciliare conatus est, denique nimium multis disputatis his verbis litem terminat. *Demonstratum igitur esse, unum esse Phidonem, eum invenisse pondera numosque signasse a. C. anno DCCCVC, eundem pepulisse Eleorum agonothetas a. DCCCLV atque fuisse decimum ex Temeno, ut asserat Strabo.* Ecce controversiam nostram vultu imperatorio disceptatam! At vero, ut taceamus, Pausaniam ubique Olympiadibus uti Coroebianis, neque ullius Iphiteae scientiam habere potuisse, illa autem Larcheri omnibus probatorum scriptorum testimoniis contraria levibus inniti chronographorum auctoritatibus: eius computationem praeterea omnis infringit ratio temporum, Corinthus regnata, Archelaus Taleclusque tum armis validi et eiusmodi plura. Neque tamen silendum est, Larchero et assentire Mansonem (Spart, I, 191.) nec multum dissentire Clavierum (Hist. II, 182.) nisi in aetatum ab Hercule numero. Quanquam in iis ipsis omnis rationis Larcherianae cardo versatur. Contra neque approbandus Palmerius, nec Lydiatus, nec Freretus (defens. chronologiae contra Newton. p. 100.), qui duos, tres pluresve statuere Phidones; quorum opinionem, quae Larcherus p. 32. sqq. et ego ab initio attulimus, satis refutasse videntur. Nam ego ut concesserim legislatorem Corinthium et Cumaeum ab Argivo esse disiungendum; id tamen video, si Phidonem Marmoris Parii et Pausaniae

y) V. Marm. Adulit. l. 4. et Buttmannum in Museo Antiq. Stud. II, p. 126. sq.

et Strabonianum Herodoteumque, eundem numorum institutorem eundemque tyrannum violentum, unum esse negas, litem tibi in patrem historiae ceterosque suscipiendam esse gravissimam; nisi negas, aliorum quorundam distinctione ad aetatem viri expediendam nihil profici. Sed hercle ipse sibi viam veri inveniendi obstruxit Larcherus discernens (p. 34.) loco, ut videtur, leviter inspecto Phidonem Plutarchi; Aristotelicum prorsus neglexit. At ne illaudatum praetereamus Frereti adversarium, is aetate in septem et viginti annos constituto Argonautarum expeditionem circa annum a. C. 937. et Phidonem inde decimum quartum Olymp. XLVIII ponit, itaque apud Pausaniam numerum octonarium quadraginta auget Olympiadibus. Quod capite Pausaniae probe pensitato abunde refellitur. Alii, ut Falconerus ad Strabon. VIII, p. 518. apud Pausaniam viginti Olympiades addiderunt. Quod e loco Herodoti Strabonisque (VII, 355. a.) assertione, Eleos usque ad Olymp. XXVI certaminibus praefuisse, speciosa nanciscitur argumenta, sed levia, ut iam quisque videt [z]).

Quamobrem, ut et meam sententiam proferam iam satis indicatam: Phidonem reor circa Olymp. III Corinthum tum a prytanibus regi coeptam aggressum, mox successu usum feliciore sibi subiecisse, tum eodem tempore, quo Sparta bello Messeniaco maxime laborabat, circa ann. Euseb. MCCLXXII maioremPeloponnesi partem subegisse et Olymp. VIII (P. J. 3967.) agonothetas Eleos pepulisse, denique legibus latis, mensuris institutis, numis cusis a Lacedaemoniis, circa Ol. XI esse eversum. Consentit mecum etiam Volneyus (Chronol. Herod. p. 167.) Caranum circa annum statuens 748, Lycurgo, nam et hunc loco suo deturbavit, aequalem. Quae autem in his difficultatem pariunt, ne locum quidem Herodoteum, nondum attigit vir acutissimus.

Sed iam satis et nimium de isto Herculis simio, Argivorum tamen eodem Romulo ac Numa.

§. 4. De Procle Epidaurio et Amphicrate Samio.

Pythaeneti Aegineticorum fragmenta conquirenti obtulit sese locus Athenaei Dipnos. XIII p. 589. (V, 132. Schweigh.)

---

z) Adde *Scaligerum* ad Euseb. Chron. p. 61. *Salmas.* de usuris 15. p. 420. *Harduin* ad Plin. VII, 57. *Palmer.* Exc. in auct. Graec. p. 29. 308. *Prideaux.* et *Lydiatum* ad Marm. Par. ep. 31. p. 257. Maitt. *Vinding.* Hellen. Thes. XI, p. 34. *Larcher.* ad Herod. IV, 476. VII, 30. *Schneider.* ad Arist. Pol. V, 8. p. 334. *Tzschucke* ad Strab. T. III, p. 151. *Marx* ad Ephor. p. 109. 161.

Πυθαίνετος ἐν τρίτῳ Περὶ Αἰγίνης Περίανδρόν φησιν ἐξ Ἐπιδαύρου τὴν Προκλέους θυγατέρα Μέλισσαν, ἰδόντα Πελοποννησιακῶς ἠσθημένην, (ἀναμπέχονος γὰρ καὶ μονοχίτων ἦν καὶ ᾠνοχόει τοῖς ἐργαζομένοις,) ἐρασθέντα γῆμαι a).

Qui locus — utinam Athenaeo e tanta librorum copia memoratu digniores, non levissimum quemque eligere placuisset — lepidus certe, ut qui virginem Epidauriam Lacaenarum more φαινομηρίδα b) et operariis pincernantem eleganter exhibet, nobis ut a Pythaeneto profectus imprimis erat considerandus. Quod enim hunc scriptorem impulit, ut haecce Aegineticis suis insereret, idem nos movet; nimirum Proclis in Aeginetas dominatio colonis ob pietatem in metropolim obtemperantibus eadem ratione, qua Periandri in Corcyraeos, comparata: de qua quanquam unus tantum Plutarchi locus superstes est, et hic tamen nobis exactius erit spectandus c).

Praeponimus de Procle locum Heraclidae Pontici Περὶ ἀρχῆς apud Diog. Laert. I, s. 94. qui *Melissam Periandri uxorem* τὴν Προκλέους τοῦ Ἐπιδαυρίων τυράννου καὶ Ἐρισθενείας, τῆς Ἀριστοκράτους παιδὸς ἀδελφῆς δὲ τοῦ Ἀριστοδήμου, θυγατέρα nominat, οἳ σχεδὸν πάσης Ἀρκαδίας ἐπῆρξαν. At cum Aristodemus Eristheniae frater a ceteris scriptoribus omnino ignoretur: de solo Aristocrate quaestio esse potest. Idemne enim, quaeritur, fuerit atque Aristocrates, Hicetae filius, Arcadum rex, quem exercitus ipsius sub finem belli Messeniaci alterius ob proditum Aristomenem lapidibus obruit. De quo plura Pausanias (IV, 17, 4. 22, 4. VIII, 5, 8.). At prohibent eiusdem verba: Αὕτη δὲ ἡ ἀδικία καὶ τῷ γένει τῷ ἀπὸ Κυψέλου παντὶ παρέσχεν αἰτίαν παυθῆναι τῆς ἀρχῆς, Aristodemum nostrum si huius filius erat, in Arcades regnasse, negantia d). Scilicet eximia fides debetur scriptori, cui haec

a) Normam loquendi: *γῆμαι* s. *ἀγαγέσθαι γυναῖκα ἐξ Ἐπιδαύρου*, ut videtur, parum observans locum vehementer luxat Schweighaeuser. T. VII, p. 183.

b) *Vestem* enim *Corinthiam*, cui consueverat Periander, *a Doriensi* paulum *diversam* fuisse, appositus ad nostra docet Her. V, 87. *ἐσθῆτα Δωρίδα, τῇ Κορινθίῃ παραπλησιωτάτην.*

c) Tuetur nomen *Προκλέους* Herod. III, 50. 51. Diog. L. I, s. 94. 100. Plut. de Pyth. Or. II, p. 303. Fr. Pausaniam tamen II, 28, 3. *μνῆμα Πατροκλέους πατρὸς τῆς Μελίσσης* memorare, observarunt Palmer. Exc. p. 376. Valcken. ad Her. l. l. Schweigh. ad Athen. VII, p. 183. De quo librariorum errore perquam communi omnes fere Virorum Doctorum locos congessit Marx. ad Ephor. p. 110.

d) Locum Diogenis laudat Clavier. T. II, p. 275; difficultatem autem non sentit. Neque Adamus Arcad. IV, 6.

haec, ut ipse fatetur, πολυπραγμονήσαντι κατὰ ταῦτα ἐγενεαλόγησάν οἱ Ἀρκάδες. Mirum certe utrumque Aristocratem, et avum et nepotem, ob impie facta Arcadum lapidibus periisse. Quibus permotus equidem diffisus huic scriptori, diffisus etiam Callistheni (ap. Polyb. IV, 33.) qui ex iisdem Messeniorum et Arcadum fabulis: καὶ τὸ γένος Ἀριστοκράτους, tradit, πᾶν ἠφάνισαν, Aristocratem nostrum, ut omnes hos Cypselidas, totius Arcadiae regnum tenuisse absolute nego; et vehementer contra assentiens Straboni VIII, 362. b. Ἀρκάδας Ἀριστοκράτην τὸν Ὀρχομενοῦ βασιλέα παρασχέσθαι στρατηγόν, subveniente ipso Heraclidae loco, Aristocratem nostrum Orchomeni tantum regem eoque in regno, contendo, ab Aristodemo filio suo esse exceptum. Iam convenit etiam Eristheneae aetas, quae Aristocrate patre certe ante Olymp. XXVIII nata e) Periandro regnum ineunti filiam in matrimonium collocare poterat; si modo illis, quae Pausanias de Aristocratis fato, sicut plerisque quae de bellis Messeniacis IV, 6 — 24. tradit, maior fides deberetur, quam carmini epico aut fabulis potius popularibus, quas Messenii, magna ex parte haud dubie post reditum ipsorum in patriam, studiosius excoluerant, postea Rhianus aliique commentis poeticis occaecaverunt f).

Sed Eristheneâ notior nobis est Procles ipse, pater Lysidae quam Periander in matrimonium ductam Melissam dixit g). Quae postquam Periandro duos pepererat filios, maiorem Cypselum h), minorem Lycophronem: a marito suo ob pellicum calumnias, dum uterum fert, calce petita periit. (Interfectorem autem uxoris cadaver patri ipsius, sceleris sui indicium, remisisse, quis praeter Valckenarium ad Her. III, 52 e *cenotaphio* Melissae Epidaurio a Pausania memorato collegit?) Postea Procles, quod nepotibus suis, quis matrem interfecerit, indicasset, quae luculenter persequitur Herod. III, 50. sqq., a tyranno genero suo bello victus et captus est. Ἐστρατεύετο Περίανδρος ἐπὶ τὸν πενθερὸν Προκλέα, ὡς τῶν παρεόντων οἱ πρηγμάτων ἐόντα

e) Sequor Corsinum F. A. III, 44. Mans. Sp. I, 275. Omnia misere turbat Clavierus T. II, p. 233. 275.

f) Non ita quidem Ste Croix Hist. Mess. in Act. Ac. Inscr. T. 45. p. 321. Manso I, 1. 289., qui tamen II, 2. p. 268. vestigia carminis epici bene agnoscit, cuius omnino expertes fuisse Spartanos, nam e Tyrtaeo haud ita multum colligi poterat, Pausaniae ipsa narratio luculenter probat.

g) V. Paus. l. l. Diog. Laert. I, 100. Melissae nomen ipsi inditum videtur ob primarium Corinthi sacerdotium administratum, instar Reginae Athenarum.

h) Κύψελον, Κύψελλον. Nomen servavit Diogen. Laert. l. l.

αἰτιώτατον. καὶ εἷλε μὲν τὴν Ἐπίδαυρον. εἷλε δὲ αὐτὸν Προκλέα καὶ ἐζώγρησε. Quae omnia brevi complectitur Epistola illa Periandri ad Proclem ap. Diog. Laert. I, 100., e solo Herodoto nec sine erroribus desumta. Minatur socero suo tyrannus, nam plura describere taedet: ἢ ὦν παῦσον τὰν ἀπήνειαν τῶ παιδὸς ἢ ἐγώ τυ ἀμυνοῦμαι.

Periandro autem non multo tempore post mortuo Procles a Psammeticho, Gordiae filio Periandrique per tres annos successore [i]), Epidauriis remissus esse videtur. Probat, qui ad nostra plurimum valet, locus Plutarchi (de Pyth. Or. p. 403.): *Proclem Epidauriorum tyrannum, aliis multis saeve et iniuste perpetratis, Timarchum Atheniensem hospitio amice exceptum divitiarum eius cupiditate sustulisse et cadaver storea involutum mari immersisse. Fecisse autem ea clam ceteris* C l e a n d r i *A e g i n e t a e opera* [k]). *Deinde rerum suarum statu iam perturbato Delphos misisse Cleotimum fratrem, secreto de fuga et exilio consulturum. Deum respondisse*· διδόναι Προκλεῖ φυγὴν καὶ μετάστασιν ὅπου τὸν φορμὸν ἐκέλευσε καταθέσθαι τὸν Α ἰ γ ι ν ή τ η ν ξ έ ν ο ν ἢ ὅπου τὸ κέρας ἀποβάλλει ὁ ἔλαφος [l]). *Quibus intellectis Proclem mox rebus pessum euntibus profugum ab amicis Timarchi captum, iugulatum et in mare esse abiectum.* Quodsi igitur Periander anno Ol. XXXVIII primo, ut Eusebius ait, regnum suscepit, XXXXVIII, 4, ut Diogenes, diem obiit et quadraginta quatuor, quot ei tribuit Aristoteles, regnum tenuit [m]): Proclis dominatio ad L ferme Olympiadem continuata videtur [n]). Ceterum in illa narratione nonnulla commentum Atticum sapiunt.

---

i) Aristot. Pol. V, 9, 22. cf. Str. VIII, p. 378. Aelian. V. H. VI, 13. Magnas turbas movit Oraculi Cypselo dati ap. Her. V, 92. versus, ubi regnaturi dicuntur

αὐτὸς καὶ παῖδες παίδων γε μὲν οὐκέτι παῖδες,

in quo Coraes ap. Larcher. T. IV, p. 349. οὐκ ἔτι παῖδες. Opponunt enim viri docti, Psammetichum eius Gorgiae, quem Plutarchus Conv. VII sap. p. 160. fratrem Periandi dicit, fuisse filium. Sed quid si *Gorgias* vel *Gorgus* Plutarchi, qui cum posteris suis tyrannus Ambraciotarum erat, omnino diversus est a *Gordia* nostro, Psammetichi patre et fratre fortasse ipsius Cypseli? V. Palmer. Exc. p. 15. Wesseling. ad Herod. III, c. 53. Wyttb. ad Plut. Conv. Comm. T. I, p. 979. Clavier. Hist. II. p. 283.

k) Cleander Aegineta infra recurret, fortasse huius nepos.

l) Proverb. v. ap. Aristot. H. A. IX, 5. Zenob. Cent. V, 52.

m) Schneiderus ad V, 9, 22. T. II, p. 357. καὶ τέτταρα uncis inclusit, equidem potius in numero regnorum computato pro III corrigo *III*. Semestre illic neglectum est. — Cf. Vinding. Thes. Gron. XI, p. 168. Scal. Thes. Temp. p. 78. 534., maxime Corsin. F. A. III, p. 48. 61. 85. Secus Larcher. Herod. Chron. T. VII, 536.

n) Ineptiae Scholiorum Thuc. I, 13. vix, quae Boherium diss.

Ab isto Procle Doriensi iam iterum redeundum est ad Proclem Ionem, et hunc Epidauri tyrannum. Concesserat a Deiphonta eiectus in Samum insulam, Deiphontes autem per Triaconem Aeginam occupaverat. Quibus observatis iam qui spectetur dignus est locus Herodoti, vetus inter Samios et Aeginetas bellum memorans. *Nam Aeginetae*, ut Herodotus III, 59, scribit, *Samios Cydoniâ Cretae eiecerunt* ἔγκοτον ἔχοντες Σαμίοισι. πρότεροι γὰρ Σάμιοι ἐπ' Ἀμφικράτεος βασιλεύοντος ἐν Σάμῳ στρατευσάμενοι ἐπ' Αἴγιναν μεγάλα κακὰ ἐποίησαν Αἰγινήτας καὶ ἔπαθον ὑπ' ἐκείνων o).

Qui Amphicrates, quem apparet antiquiorem esse Polycrate et Sylosonte et Aeace, si cum Aeginetis longinquis bella gerere poterat, iam Samium novimus ante Polycratem mari potentem. Atqui, cum is sibi patriam suam subiecisse videatur tum sub Geomororum principatu liberam; Amphicrates, si modo recte ab Herodoto βασιλεὺς dicitur, antiquis Sami regibus, Procli Leogoraeque adnumerandus erit. Et floret sane Samus iam ante Olymp. quadragesimam et arte et mercatura, πολίων πασέων πρώτη Ἑλληνίδων, καὶ βαρβάρων, ut appellat Herodotus p). Iam enim circa Olymp. XXXVII Samii mare celeribus Samaenis permensi tenent Tartessum: idem sub tempus in maiorem Oasin devenisse q), iam antea vero Perinthum condidisse videntur r), iidem, ut Pausan. VI, 2, 4. scribit, ἐπὶ ναυμαχίαις Ἰώνων ἄριστοι, quippe quibus Thucydide I, 13. teste omnium primis circa trecentesimum ante belli Peloponnesiaci finem annum Aminocles Corinthius quatuor triremes fabricatus esse traditur s). Atqui ipsi Samii apud Herodotum III, 47, *sese Lacedaemoniorum in bello Messeniaco socios fuisse*, gloriantes fidem faciunt etiam proelio adversus Megarenses a Plutarcho (Quaest. Gr. p. 303.) memorato, quod sub idem tempus accidisse necesse est: neque omnino Samios bellorum

---

Her. c. 50. in errorem, et Wessel. ad Her. III, 54. in disputationem inducerent, dignae erant. V. Dodwell. Chron. Thuc. p. 23. et Heyne in Commtr. nov. Soc. Gott. II, p. 50. Adde Clavier. T. II, p. 275. 284. 290.

o) Laudaverunt locum Ubbo de rep. Sam. p. 30. Vinding Hell. p. 483. Heyne l. c. p. 60.

p) III, 139. cf. Thuc. I, 115. Plut. Pericl. 167. e. Cic. ad Qu. Ep. I, 1, 8. Spanhem. de usu numism. 647.

q) Her. III, 26. IV, 152. cf. Larcher. Her. T. VII, 440. VIII, 597.

r) V. Scymn. Ch. 714. Plut. Qu. Gr. 47. p. 303. Nisi forte Perinthus iam sub tempus fugae Ionum Samiorum ex Epidauro condita est. Hanc opinionem adiuvat Steph. Byz. *Πέρινθος ἀπὸ Περίνθου Ἐπιδαυρίου.*

s) Cf. Heyne N. Commtr. Soc. Gott. l. c.

transmarinorum expertes fuisse, pugna Eretriensium et Chalcidensium de Lelanto Persicis prior arguit, in qua Milesii illos, Samii hos auxiliis adiuverunt t).

Quae fortasse scrupulum ac dubitationem, quam bellum Samiorum cum Aeginetis movere poterat, quadam ratione eximent. Quaeri etiam potest, qui factum sit, ut Aeginetae, quae a rege Samiorum iniquiora passi erant, ea in exulibus, nam exules Samii a Polycrate expulsi Cydoniam condiderant, postea ulciscerentur. Magis certe sapere Corinthios et Lacedaemonios, qui et ipsi a Samiis iniuriis affecti, ut earum poenas ab auctoribus repetant, eosdem exules fovent, navibus et copiis sublevant, in patriam restituere student. At vero inter Samios et Aeginetas bellum alius generis, bellum mercatorium, quod etiam in exules non quievit, intercessisse videtur.

§. 5. De Aeginetarum ab Epidauriis alienatione.

At interea Aeginetarum animus sensim intumuerat. Aucti enim subsidiis, quae postea curae erit indicare, ad id divitiarum potentiaeque navalis sese evexerant, ut matre civitate iam dudum essent superiores. Quanquam neque Epidaurii eo tempore inter oppida mari militiaque potentia ultimi erant, qui ad Artemisium naves octo, Salaminem decem, Plataeas octingentos milites gravis armaturae mittere, mox Corinthios quinque navium auxilio contra Corcyraeos sublevare et cum Corinthiis Athenienses vincere poterant u). Quae autem deficiendi fuerit causa, manifestum: eadem quae Corcyraeos a Corinthiis, Tyrios a Sidone abalienaverat, filia aetate et viribus adulta v); quid ansam praebuerit, haud aeque assequimur, nisi forte seditiones post Proclis mortem Epidauri ortae, accedente ira

---

t) Her. V, 99. Thuc. I, 15. Str. X, p. 448. 465. Floret omnino Samus et omnis Ioniae litus patriae maioris hospitiis; consilia communicant tyranni et artifices Aegina Samum, Samo Corinthum Sicyonemque veniunt. De quibus infra. Omnino mira, quae Herod. VIII, 132. V. Wessel. p. 682.. Ukert. Geogr. 42. N.

u) Herod. VIII, 1. 43. IX, 23. Thuc. I, 27. 105.

v) Etiamsi typos metropolis in colonia repeti, magis moris erat quam iuris, ut iudicat Spanhem. de usu num. p. 568: memorabile tamen videtur, eas potissimum civitates, quae potentiae quoddam fastigium attigerant, notas metropolis omnium rarissime imitari. Ita numi Corcyraei magnopere a Corinthiis, Sinopenses a Milesiis discrepant. Cf. Eckhel. D. N. II, 178. cum p. 237, 390. cum 530. Et hinc evenit, ut inter numos Aeginaeos, quos infra recensebimus, ne unus quidem ulli Epidauriorum (p. 289.) similis reperiatur.

deorum et frugum inopia, deficiendi et facultatem et nomen dabant. (V. Herod. V, 83.) Ita cum Aeginetae civitatem a diis metropoleos disiunctam constituere coepissent, iis tamen carebant, sine quibus civitatem apud antiquos esse nefas erat. Numina enim erant communia, quae coloniam matri subiecerant, sacra quae civitati libertatem vindicanti primum erant paranda, nec parari poterant nisi e metropoli. Epidaurii autem eo tempore, quo Aeginetae defecerunt, oraculo ob sterilitatem agrorum consulto Damiae et Auxesiae, vetustissimis (ut alibi demonstrabitur) Peloponnesi deabus, signa oleagina ponere iussi erant. Quibus cum Athenienses oleas, ea quidem conditione, ut Minervae Urbicae et Erechtheo quotannis sacra ferrent, concessissent, quippe cum in omni terrarum orbe terra Palladis tum adhuc sola oleas aleret: illi iureiurando praestito oleas nacti signa faciunt et frugum inopiam averruncant w). Haec igitur signa rapiunt Aeginetae, cum mari potiti Epidauriam bellis infestarent, Oeaeque in insulae meditullio collocata, sacris horum numinum propriis mulierumque choris festivis colunt. Epidaurii vero, stipe Atheniensibus debita per haec se esse solutos existimantes flagitantibus sacra recusant. At Aeginetae sibi nihil esse negotii cum Atheniensibus praetexentes eorum legatis surdas aures praebent x).

Quae ut penitus intelligamus, observandum est, illis sacris ferendis durius nullum tributum Doriensibus imponi potuisse. Minerva enim Πολιάς arcium etiam aliarum custos y), antiquissimum tamen et numen singulare erat trium urbium memorandae coniunctionis, Troiae, Athenarum, Siris Italicae z), cultum olim stipite rudi paloque informi, sacris a sacerdote foemina ex Eteobutadarum

---

w) Her. V, 82. Schol. Aristid. Panathen. I, p. 268.

x) Her. V, 83. 84. Cf. Druman. Id. II, 1. p. 189. Tetigit haec Bentlei. Phalar. p. 343.

y) Colebatur *Troezene*, Paus. II, 30, 6. *Tegeae* VIII, 47, 4. *Tei* et *Erythris* VII, 5, 4. etiam *Priansi* et *Hierapytnae*, Gruter. DV, 2. MLXVII. 7. Marm. Oxon. p. 65. Chish. Ant. As. 132, 133., quo commercia cum Atheniensibus, ut typos monetarum, Eckhel. D. N. II, p. 321., ita etiam numina invexerant.

z) Poliadis *Troianae* sacerdos ap. Hom. Il. Z, 300. Dion. Hal. VI, p. 393. Sylb. Sacra eadem sunt quae Athenis. Il. Z, 90. sq. E Troade autem *Sirim*, post *Πολίειον*, (*Πόλιον* enim etiam ad Simoentem Str. XIII, p. 601.) translata sunt. Str. VI, 264. a. Athen. XII, 523. c. Steph. Byz. s. v. *Σῖρις*. Ps. Aristot. de miris ausc. p. 116. a. Tb. Heracl. p. 74. 259. Cf. maxime Heyne Opuscc. Acc. II, p. 235. sq. Atqui Sirim, notum est, Athenienses e vetere oraculo ante pugnam Salaminiam confugere voluisse. Her. VIII, 62. Lycophr. Cass. 986. At haec altioris indaginis sunt.

gente curatis lucernaque semper inexstincta [a]). Erechtheus autem Neptunus, e numine pervetusto heros mysticus factus, Minervae sacrorum tanquam pars necessaria, tum sub Erichthonii nomine in templo Poliadis οἰκουρὸς ὄφις [b]), tum ibidem sepulcro conditus [c]), tum in eadem Athenarum πόλει templo Poliadi contiguo una cum Buta et Vulcano colebatur [d]). Sed qui plurimum ad nostra facit, est locus Herodoti V, 72., ubi Cleomenem in Poliadis adytum irrupturum increpat sacerdos [e]). Ὦ ξεῖνε Λακεδαιμόνιε, πάλιν χώρει μηδ' ἔσιθι ἐς τὸ ἱρόν. οὐ γὰρ θεμιτὸν Δωριεῦσι παριέναι ἐνθαῦτα. Quid, si omnis vir Doriensis ab aditu huius templi arcebatur, Epidauriis Aeginetisve magis ignominiosum esse poterat, quam hostias advectas alienis sacerdotibus deae Atheniensibus peculiari, sibi infensae, mactandas tradere.

Hinc incipiunt fabulae ab aliis aliter relatae. Ab Atheniensibus Herodotus V, 85. scribit traditum esse, *triremis adversus Aeginetas missae classiarios, postquam ad signa dearum accessissent, funibus ea deturbare et ad litus pertrahere molitos esse. Repenti autem terrae motu caelique fragore attonitos ad id insaniae esse perductos, ut sese invicem trucidarent nec nisi unus relictus Phalerum repeteret.* Alia autem apud Aeginetas atque Argivos vulgo ferri. *Venisse Atheniensium non unam navem, quam certe ab aditu defendere potuissent, sed classem totam, sociosque navales, cum escendissent, statuas ad mare detrahere coepisse. Eas autem proiectas esse in genua, dumque illi immotas ciere conantur, clam iis advenisse auxilia Argis accita, occupasse naves, terraeque motu accedente tantam inter illos edidisse stragem, ut ex omni Atheniensium exercitu unus tantum evaderet.* V, 86. [f]).

---

a) Aeschin. π. παραπρ. c. 20. Strab. IX, 396. a. Philostr. V. Apoll. Tyan. III, 15. p. 104. Olear. Tertullian. adv. nat. I, 12. Cf. Meurs. Cecrop. 20. Opp. T. 1. p. 432. sq. Spanhem. in Call. in Pall. v. 53. Perizon. ad Ael. V. H. II, 9. Hemsterh. ad Arist. Plut. 772. Larcher. ad Herod. IV, p. 335. Stuart. Antt. Att. V. II, p. 16.

b) Her. VIII, 41. Wessel. et Valckenar. ad l. V. Larcher. I, 456. V, 475.

c) Arnob. adv. gent. VI, 193. Euseb. Praep. Ev. II, 6. Clem. Alex. Protr. 39.

d) Il. B, 549., ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ. Her. VIII, 54. Paus. I, 26. 6. Cf. Lycophr. Cass. v. 158. Cic. de N. D. III, 19. Hesych. s. v. Ἐρεχθ. — Meurs. Reg. Att. II, 12. Cecrop. 18. 20. Heyne ad Apollod. III, 15, 1. p. 332.

e) Quae *Πολιάδος ἱερεία*, ut legibus molestis obstricta (Strab. IX, 394.), ita inter primas erat Athenarum dignitates, ut perspicitur e marmore Att. ap. Gruter. CV, 9. Cf. Meurs. Lectt. Att. II, c. 14. Corsin. F. A. I, 42. III, 139.

f) Haec spectat Schol. Thuc. I, 105. πόλεμος διὰ τὰ ἀγάλματα πρὸ τῶν Μηδικῶν ἤρξατο.

Ecce fabulas et mysticas quidem, acsi necesse esset, ubi de sacris Cerealibus ageretur, narrationi superstitiones immisceri, ei religionum generi proprias. Furorem similem numinibus conspectis exortum Attica de Aglauri sororibus fabula [g]), Cabiria de Eurypylo Καβείρων ἄγλαα δῶρα conspiciente [h]) referunt: tonitribus ad insaniam perducti sunt Macedones templum eorundum Deorum Magnorum ingredi ausi (Paus. IX, 25, 7.), quorum sacrorum cum Eleusiniis intimus est connexus. Aeginetica autem narratio opinioni insistit, deorum ξόανα, praesertim artis antiquissimae opera, vim adhibitam reformidantes voluntatem etiam gestibus significare. Sic quidem, in genua proiecta, dearum signa etiam Herodoti et Pausaniae tempore cernebantur. Conferenda est maxime fabula Menodotea [i]), *Tyrrhenos ab Argivis corruptos signum Junonis Samiae*, (quae Samia Iuno Argivae erat colonia,) *ex Heraeo rapuisse, reluctante autem dea ad naves pertrahere non valuisse.* Ac perinde ut nefas erat Liberam deam, cum primum apud inferos mali granis fruita esset, ad lucem et matrem redire: ita etiam vetuisse religionem, ne signa illa, quamvis rapta, ex quo sacris suis culta essent, repeterentur, eo potissimum quod Pausanias adhuc eadem, famâ certe, Aeginae coluit comprobatur [k]).

His adiungit Herodotus aliam Atheniensium fabulam. *Nam ne hunc unum quidem* tradit *ceterorum cladi diu fuisse superstitem, sed ab uxoribus peremtorum dum Athenas intrat fibulis vestium confossum exspirasse* [l]): *quod mulierum facinus aversatos Athenienses feminarum vestem Doricam, ne amplius fibulis uterentur, permutasse cum Ionica.*

Adiicit scriptor etiam Aeginetarum et Argivorum duo instituta melius infra afferenda. Sed in illa narratione id quidem probatum habeo, Atheniensium uxores antiquitus veste usas, quae levi Spartanorum amictui et Corinthiorum ἐμπεροναστρίδι similis in humero latereque fibulis colligeretur [m]), eam postea mutasse in Ἰάδα, in qua manicarum usus, fibularum nullus. Itaque vestem Doricam olim obtinuisse

---

g) Pausan. I, 18, 2. III, 16, 6.

h) VII, 19.

i) Athen. XV, 672.

k) Si quid his ex fabulis historici extricare studes, iuvabit te Duris Samius in Schol. ad Eurip. Hec. v. 933.: Athenienses narrans Aeginetarum piraticâ exacerbatos ipsis bellum intulisse, hos vero Spartanis (Argivis puto) in auxilium vocatis omnem Atheniensium στρατείαν praeter unum cecidisse.

l) Her. V, 87. Caecatum primum, tunc enecatum, ut Duris Samius scripsit. Schol. Eur. Hecub. l. l.

m) Pythaenetus supra laudatus. Theocr. XV, 21. 43. Aelian. V. H. I, 18. Pollux. VII, 13. 54. Eustath. ad Il. E, p. 567. Ξ, 975.

apud omnes Graecos, arguit Homerica Venus, quae inter lenocinia, quibus Achaïcas mulierculas ad viros Troianos pellicit, ut quidem Minerva exprobat,

τῶν τινὰ καῤῥέζουσα Ἀχαιϊάδων εὐπέπλων
πρὸς χρυσέῃ περόνῃ καταμύξατο χεῖρα ἀραιήν n).

Iadem autem, quam vocant, post haec demum a populis Asianis receptam esse, probat Herodotus ipse ἔστι δέ, dicens, ἀληθέϊ λόγῳ χρεωμένοισι, οὐκ Ἰὰς αὕτη ἡ ἐσθὴς τοπαλαιόν, ἀλλὰ Κάειρα. ἐπεὶ ἥγε Ἑλληνικὴ ἐσθὴς πᾶσα ἡ ἀρχαίη τῶν γυναικῶν ἡ αὐτὴ ἦν, τὴν νῦν Δωρίδα καλέομεν, ita ut eam vestem, cum Milesii primi feminas Carum raperent et in matrimonium ducerent, (Her. I, 146.) proprie Mileto profectam esse existimem. Sic omnino Iones, πάλαι ποτ᾽ ἄλκιμοι et Doriensibus consimiles, ut vestem, ita linguam et mores et ingenium, caelo magis et litoris contiguitati et barbarorum mollium contagio, quam sibi et origini suae debent. Sed, quam Herodotus de commutatione vestium apud Athenienses fabulam refert, eam apparet e studio et consilio antiquissimorum historicorum, (ut philosophorum,) cuicunque consuetudini et instituto αἰτίαν et κτίσιν quandam quaerendi, esse profectam o).

Societatem autem et foedus, quod inter Aeginetas et Argivos intercessisse vidimus, e more communi earum civitatum, quae a metropoli defecerant, ad aviam ut ita dicam refugiendi, derivamus: quo in cardine notum est ipsius belli Peloponnesiaci initium versari. Nec non Argivi ad eos, qui cum Epidauriis litigabant, excipiendos adiuvandosque promptissimi erant (cf. Thuc. V, 54.), exortis inter incolam Argolidis Argivumque, quem ipse Apollo apud Herod. VII, 148. ἐχθρὸν περικτιόνεσσιν increpat, iisdem rixis et inimicitiis, quae Boeotorum animos a Thebano abalienaverant. Πολεμοῦσι γάρ, ut Isocr. ad Phil. 20. p. 132. L. ait, Ἀργεῖοι ἐξ ὅσου περ τὴν πόλιν οἰκοῦσι πρὸς τοὺς ὁμόρους. Itaque ut Epidamnus, cum a Corcyraeis defecit, ad Corinthios, unde Corcyra deducta est, revertitur: ita Aegina

---

Spanh. in Call. in Apoll. v. 32. Valckenar. ad Her. p. 416. Larcher. T. IV, 337. Boettiger. Cassandr. 60.

n) Il. E, 424. cf. Od. T, 225. Σ, 292.

o) Mos Herodoti in operis contextu saepius erit observandus. Hic loci recordamur I, 82., quo Spartanos comam alere coepisse memorat ex quo Thyreatidem expugnassent. Ut vero omnes Graeci vetusto more καρηκομόωσι, ita maxime Dorienses antiquitus bene capillatos fuisse, non licet dubitare, affirmant Auct. Lacedaem. Civit. 11, §. 3. et Plutarch. Lys. p. 433. f. Quae contra ibidem de Argivis, cum magis ex usu populorum sint, veriora esse non nego. Cf. Plato Phaed. c. 87. Haerent viri docti, non haesissent, si Herodoti morem novissent.

Epidauriis inimica cum Argivis societate iungitur et hospitiis, quae etiam tum, cum Aeginetae potentia navali elatiores ab Argivorum foedere descivissent, durasse videbimus.

Sed videndum est, ne nobis fabulas de Aeginetarum ab Epidauriis defectione bellique cum Atheniensibus origine diligenter persecutis mirum quiddam acciderit. Narravisse nos mythum, iam perspicimus, mythum quo gentium duarum acerrimi et diuturni odii causas involvebat antiquitas. Si vero inter lucem historicam tanta fabularum sensus reconditi caligo exsistit, quis quaeso historiae et fabulae, tanquam rerum diversissimarum, certos constituere terminos et limites quosdam poterit describere? Mihi quidem persuasissimum est, si omnis Graecorum historia haud raro mythum refert, necesse esse etiam mythum haud raro historica referre. Quid enim interest inter Aristomenem et Achillem? Num Theagenes athleta minus Herculis filius est, quam Hyllus? Num proelium Salaminium sine numine Eleusinio committitur, et, non dico apud Aeschylum, sed apud ipsum Herodotum, poësin minus refert, quam ipsi Septem adversus Thebas? — Iam vero de tempore defectionis Aeginetarum sciscitantibus, quantumvis allaboremus, nihil in narratione Herodoti, quod noctem rebus offusam depulsum iri polliceatur, reperiri potest. Nihil inquam. Cum Epidaurii ab Atheniensibus oleas petissent, oleas, quas quis credet, unquam in sola Attica provenisse? τοῦτον ἔτι τὸν χρόνον, scribit Herodotus, καὶ πρότερον Αἰγινῆται Ἐπιδαυρίων ἤκουον· τό δὲ ἀπὸ τοῦδε νῆας πηξάμενοι ἀπέστησαν ἀπὸ τῶν Ἐπιδαυρίων. ἅτε δὴ ἐόντες διάφοροι, δηλέοντο αὐτούς ὥστε δὴ θαλασσοκράτορες ἐόντες. Quando autem Epidaurii ab Atheniensibus oleas petierint: id ex Herodoti narratione, nisi forte triremium usu advocato, nunquam perspicies. Nos tamen Proclem vidimus Aeginetis imperasse; videbimus Olymp. LXV a. 2. Aeginetas iterum cum Samiis bellantes liberos fuisse atque potentes; coniicimus, Durim Samium de finibus Samiorum agentem ob hoc bellum defectionem Aeginetarum ab Epidauriis memorasse, (memoravit enim); et inde tempus, quod fabula nostra spectat, in Olymp. LX constituimus, tantum scilicet coniectura satis vaga augurati. Utrum tamen haec vera ἔχθρης παλαιῆς in Athenienses fuerit origo, necne, non ambigemus.

Caput Tertium.

Potentiae incrementa.

§. 1. Mercaturae, opificia, itinera navalia.

Quae erant subsidia, quibus Aegina crevit? quae Aeginetarum rei publicae emolumenta? Iam enim in ea quaestione rei cardinem versari intelligitur. Artes haud dubie, opificiorum industria, mercaturae; quippe quae naturae huius insulae sola congruunt. Non dico de situ Aeginae e recessu sinus Saronici prospectantis in mare Aegaeum commerciis provehendis aptissimum: unde veterem generique humano insitam cum alienigenis commeandi cupiditatem expergefieri necesse erat, quamvis montana Doriensium vita iam fere exstinctam. At vero in ea insula neque agros, neque venationem, neque pastoricium, neque μεταλλευτικὸν βίον etiam exiguo incolarum numero ne victum quidem necessarium suppeditare potuisse, libelli huius prooemium loquitur: neque autem populum piscatorium vel praedonum unquam compertum habemus ad quendam opulentiae gradum pervenisse. Hac necessitate Aeginetae, Graecanici quidam Phoenices, quanquam nunquam colonos e Phoenice exceperant, iam antiquitus θαλαττουργοῦντες p), insulam suam emporium reddiderant.

Quo id primum tempore, docebunt fortasse Pausaniae haec (VIII, 5, 5.): *Pompo Arcadum rege Aeginetas navibus Cyllenen, Eleorum ad navale, appulsos hinc merces plaustris impositas invexisse in Arcadiam: quorum commerciorum apud Pompum tantam fuisse gratiam, ut ipsum filium de iis Aeginetam diceret* r). Cuius Pompi aetas cum in alterum ante primam Olympiadem saeculum inciderit: iam hae primae Aeginetarum in Arcadia negotiationes in id tempus referendae sunt, quo omnino Graeci primum mercaturae propriis navibus emporisque agendae animum adiecerunt.

---

p) Cf. Michael. de Iorio *Storia del Commercio* T. I, p. 225. sq. qui, quamvis de his neque erudite neque cogitate scripserit, meliora tamen praestitit quam Caryophilus de *mercatura veterum* ceterique historiae mercaturarum scriptores.

q) Str. VIII, 377.

r) Occurrit tamen etiam Aeginetes alius, Deritae filius, a Lacedaemone quartus, inter maiores Patrei ap. Paus. VII, 18. 4.

Apud Homerum enim, sicut ἔμπορος ipse nunquam mercatorem significat, ita mercatores ubi occurrunt, barbari vel saltem semibarbari sunt, Phoenices, Cretenses, Tyrseni Lemnii, Taphii, Phaeaces [s]), neque tamen usquam Achaeus vel Argivus reperitur, qui vitam e mercatu aleret [t]). Ascraei contra, quippe qui ex aetate heroica ad civilia et domestica studia transitum struunt, mercaturam ut artem descripserunt, qua popularium quivis inopiam depellere possit [u]).

Eo etiam memorabilius Hesiodi ex Heroicis Genealogiis de Myrmidonibus fragmentum iam supra memoratum. Cuius postremi versus hi sunt:

οἱ δ' ἤτοι πρῶτοι ζεῦξαν νέας ἀμφιελίσσας,
πρῶτοι δ' ἱστία θέντο νεὼς πτερὰ ποντοπόροιο [v]),

ubi Ruhnkenii argutias miror pro ζεῦξαν e Scholiis in Pindarum inferentis τεῦξαν. *Nam qui primus*, ait, *navim invenit, ante eam conficit, quam cingit.* Atque video, eum etiam vocem ἀμφιελίσσας de navibus in prora puppique curvis interpretari maluisse, quam de iis, quae utrimque remis agitarentur [w]). Sed tale erat Graecis ingenium, ut quaevis civitas, quae per tempus aliquod mare tentaverat, genus quoddam navigiorum inventum sibi vindicaret, navim omnino invenisse nulla de se gloriaretur [x]). Nonne verisimile, eadem ratione Aeginetas ex fama populari primos naves transtris iugumentasse remigibusque utrique

---

s) Cf. Plin. 33, 1. De Corintho ἀφνειῷ et Rhodi imbre aureo v. II, §. 1. p. 42. n. c.

t) Nam nonnisi gravi errore Menelaus ex Aegypto πολὺν βιοτὸν καὶ χρυσὸν ἀγείρων (Od. *Γ*, 301. *Δ*, 90. et cf. *Ξ*, 285.) pro mercatore haberi poterat.

u) Hes. O. et D. 644.

v) V. p. 14, l. οἱ δ' ἤτοι scripsi pro οἳ δή τοι. Ad nostra cf. Tzetz. Chil. 7, 133.

w) Hoc Etym. M. et Hesych., illud praeferunt Schol. ad Aesch. Suppl. 895.

x) Ratem *Samothracii* Diod. V, 48. Conon narr. 21. Tzetz. in Lyc. v. 73., lembum *Cyrenenses*, *Phocaeenses* pentecontoros Her. I, 163., biremem *Erythraei*, de trireme ambigebant *Athenienses* et *Corinthii*, quinqueremem concedebant *Salaminii*. Thuc. I, 13. (Scal. in Euseb. p. 61. Thes. Gronov. XI, 574. etc.). *Samii* habebant Samaenam, Plut. Per. p. 166. *Hermionenses* Ἑρμιονίδα, Thuc. I, 128., *Cretenses* ἐπακτρίδας, Etym. M., *Κέρκουρον Corcyraei* vel *Cyprii* (lis est Turnebo Advers. 29, 18. cum Harduino ad Plin. p. 419.) *Cnidii Κνιδούργεις*, *Naxii κάνθαρον* (Suid. ναξιουργὴς κανθ.), *Parii Παρῶνα* (cum *Myusiis* Myoparonem), *Thasii* naves cataphractas, celetem *Rhodii*. V. impr. Plin. VII, c. 56. s. 57. Fabulosa omisi.

lateri certis assignatis agiliores reddidisse? Is enim verbi *ζευγνύναι* proprius et genuinus sensus est [y]). Haec de versu priore; altero poeta Aeginetis attribuit prima vela, quippe quibus ars erat fama Daedalo aequalis, et fabula,. quae iam Phocum, Nereidis filium, mari clarum fuisse referebat.

Usus navium antiquissimus haud dubie etiam apud Aeginetas in piratica erat. Nam latrocinia maris apud populum mare studiosius exercentem quam terram tum vitam quaestu facillimo tolerabant, tum, maxime si in populum stirpis alienae fiebant, illis temporibus erant honori [z]). Aeginetae autem cum primum ab Epidauriis descivissent, in Epidauriam incursant et Dearum signa rapiunt, mox Atticae regiones maritimas populantur; et Aeginaeos fuisse piratas, adversus quos Hippias mittitur, non improbabimus [a]). Deinde a Thebanis in auxilium evocati omnes Atticae pagos maritimos diripiunt et quinqueremi Deliacae insidias struunt; post bellum Peloponnesiacum in patriam reduces ab Ephoris Lacedaemoniis veniam in Attica rapiendi et praedandi impetrant, plerumque bello non indicto [b]). Neque tantum Demosthenis aetate Aegina piratarum erat receptaculum rapinarumque eorum nundinae [c]): sed etiam novissimis temporibus praedones Aeginaei in Cretam usque excursionum suarum terrorem tulerunt. His favet situs insulae: id ingenitum Dolopibus e Scyro omne mare Aegaeum turbantibus. At *navigationem*, ut Sallustius ait, *invadendarum terrarum causa ortam*, mox apud populum, qui commerciorum securitatem latrocinii ambiguo quaestui praeferre didicerat, altius excoli necesse erat.

Revertimur ad Pausaniae locum. Qui quanquam pleraque mercaturarum genera ut in primordiis complectitur: idem tamen has in Arcadia nundinationes non primas

y) *Ζυγὸς, ζυγίτης, τριακοντάζυγος Ἀργώ.* Neque deserenda erat apud Thuc. I, 29. *ζεύξαντες τὰς ναῦς παλαιάς, ὥςτε πλωΐμους εἶναι* explicatio Scholii *εὐτρεπίσαντες, τοὺς ζυγοὺς ἁρμόσαντες ἐν αὐταῖς. καὶ γὰρ ἔθος ἔχουσιν αἱρεῖν αὐτοὺς ὑπὸ τῶν οὐ πλεονιζόντων νεῶν.*

z) Ita fere Iustin. 43, 3. V. max. Thuc. I, 5. (Od. Γ, 71. H. in Apoll. v. 274.) Scheffer. de mil. nav. I, 1. p. 7. Ipse Minos ab aliis mare pacasse, ab aliis navim praedoniam invenisse dicitur. Et legislatio Solonis licentiam coercuit tantum et sancivit. *Θιασῶται* memorantur *ἢ ἐπὶ λείαν ἐρχόμενοι ἢ εἰς ἐμπορίαν* ap. Cai. IV de collegiis. Salmasii de M. U. p. 336. emendationem *εἰς καπηλείαν* refutat Herald. Obss. p. 132. sqq.

a) V. huius cp. §. 5.

b) V. c. p. V. epimetrum.

c) Dem. de Nicostr. p. 1248, 17.

fuisse Aeginetarum mercaturas arguit. Etenim si, quae natura proveniunt, intulerunt: haec itineribus maritimis comparari necesse: sin vero arte confecta; tum praecipua opificum peritia; tum etiam opificiorum materie aliunde certe quam ex Aegina petenda opus fuerat. Neque eae mercaturae, cum Pompum Cypselidam Orchomeni regnasse verosimile sit, exigui erant itineris: et simul memorabile, Aeginetas Scyllaeum atque Maleas nautis importunissimas circumvehere et merces per montuosa Arcadiae importare maluisse, quam brevi per Argolidem Corinthiamve via uti. Quod horum populorum invidiae vetuisse videntur. At Aeginetarum profecto erat sollertiae, iter et aditum in Arcadiam, occlusam quoddammodo omnibus commerciis, patefecisse. Mercaturae autem, quae terra fiunt, cum solis Arcadibus magnae copiosaeque et honestae esse poterant; apud ceteras Graeciae gentes, quibus litora erant et portus, καπηλεία evadebant. Hinc Aeginetae insignes κάπηλοι. Modo venalitii per singula oppida peregrinantes modo inquilinorum conditione assidentes maxime frumentum, vina, cupedias, cibaria omnis generis in foro vel tabernis venum dabant. Iccirco merces viles et tabernariae Αἰγιναία ἐμπολή d), et παντοπώλης Αἰγιναιοπώλης dicti sunt e): neque alia est origo proverbii: ὁ Κρὴς πρὸς Αἰγινήτην, eandem ferme sententiam, quam illa: ὁ Κρὴς πρὸς Κρῆτα, *cretizare cum Cretensi*, complexi f). Atque adeo, cum Iovis Hellanii sacra, quod sciam, Aeginetis peculiaria fuerint: non dubito, quin Agoracriti cauponis apud Aristophanem (Equ. 1250.) votum

Ἑλλάνιε Ζεῦ, σὸν τὸ νικητήριον

Aeginetarum cauponariam spectet. Quin etiam e nomine Sarambi, quod, ut affine Casambi, viri Aeginetae est, iure mihi coniicere videor, Sarambum, cauponem et oenopolam apud Athenienses notissimum, quem Lampi emporo opponit Themistius (Or. 23. p. 297.), et cum Mithaeco coquo g) et Thearione pistore (et hoc nomen Doriense et Aeginetae quidem est, e gente Euxenidarum) coniungunt Plato, Athenaeus et rhetores, inquilinum tantum fuisse apud Athenienses et patria Aeginetam h). Tametsi in loco

---

d) Ut *Αἰγυπτία ἐμπολή* ap. Eurip. in Hesych. s. v. V. Ephor. ap. Strab. VIII, 376. Cf. Casaub. ad. l. p. 164. Rhodigin. Lectt. Ant. 21, 23. p. 821. Tzsch. ad Str. III, 249. Piers ad Moer. Att. s. v. ἐμπολή.

e) Ita Etym. M. et Favorin. Hesych. minus bene *Αἰγινοπῶλαι*.

f) V. Eust. ad Il. B, p. 604. Hesych. s. v. *Αἰγιναῖα*. Cf. Intpp. I, p. 137. Schol. Pind. O. VIII, 26. Erasm. Adag. 71, 72.

g) De quo Toup. Emd. in Suid. P. I, p. 12.

h) V. de eo locos ap. Davis. ad Max. Tyr. IV, 5. p. 56 .R. Adde

Appuleii Met. I, 25. *Aegiensis* (vel *Aeginensis*)[i]) *sum Aetneo melle vel caseo et huiuscemodi cauponarum mercibus per Thessaliam, Aetoliam, Boeotiam ultro citro discurrens*, Lucii Patrensis iocus in Aegienses finitimos festivior videtur, quam in Aeginetas, tum temporis mercaturam, ne cauponariam quidem, non exercentes[k]). — Affinis autem καπηλεία est τοκισμός, neque hic ab Aeginetis neglectus. Fictus Plato epist. XIII, (p. 362. b.) *nullum esse*, conqueritur, *Dionysio Athenis hominem, qui praestet, quae rex in publica munera insumere velit.* Ἐγὼ γὰρ δή, ait, ταῦτά γε ἐζήτασα, παρ' Ἀνδρομήδη τὸν Αἰγινήτην πέμψας Ἔραστον, παρ' οὗ ἐκέλευες τοῦ ὑμετέρου ξένου εἴ τι δέοιμεν λαμβάνειν. Qui tamen Andromedes utrum inquilinus fuerit Atheniensis, an Aeginae habitaverit, etiamsi omnis res minus commenticia esset, tamen ignoraremus. Mercatorum quidem Aeginetarum cum Siculis coniunctionem significat eiusdem fortasse auctoris locus (epist. IV, p. 321. b.) καὶ νῦν ἐπιστολαὶ παρὰ μὲν Θεοδότου καὶ Ἡρακλείδου ἥκουσιν εἰς Λακεδαίμονα καὶ Αἴγιναν.

Neque autem Aeginam καπηλεῖον: sed ἐμπορεῖον dixit Strabo: et etiam Aristotelis tempore (Pol. IV, 4, 1.) ἁλιεῖς μὲν ἐν Τάραντι καὶ Βυζαντίῳ, τριηρικὸν δ' Ἀθήνησιν, ἐμπορικὸν δ' ἐν Αἰγίνῃ καὶ Χίῳ, πορθμευτικὸν δ' ἐν Τενέδῳ. Atque ἔμπορος haud dubie Sostratus Laodamantis f. Aegineta, de quo Herodotus[l]), *Samios missu divino Tartessum delatos maximum inter omnes Graecos de mercibus lucrum retulisse* (sexaginta talenta), *praeter unum Sostratum*, τούτῳ γὰρ οὐκ ἐρίσαι οἷά τέ ἐστι ἄλλον. Eximia industriae Aeginetarum testificatio et memoranda, maxime cum paucis eiusmodi fortunae invidia pepercerit.

Ceterum Graeci, vitae sedentariae osores, eas negotiationes, quae omnia mercium rudium commutatione navalibusque itineribus conficiunt, domesticae operosaeque industriae longe praetulerunt, indocti adhuc, solam indu-

---

Posidippi ap. Dicaearchum τὸ Σηράμβου κλέος de cauponaria Plataeensi. V. Henr. Steph. in Thes. Gron. XI, p. 22. Aegineta, inquilinus Athenis, est etiam Πλαθο(ν Αιγ)ινήτης ,ille, cuius donarium in templo Hecatompedon memorat inscr. ap. Chandler. p. 43. IV, 40.

i) Occurrit forma haecce barbara etiam ap. Valer. Max. VIII, 2, ex. 8. Quanquam *Aegineta* et *Aegineticus* est ap. Cic. de Off. III, 11. Plin. H. N. 33, 2.

k) Praetulit Oudendorpius Aegiensis, *quia Aegina sterilis sit et metallifera.* Neque tamen etiam nunc Aeginae sterilitas hordeo, gossypio, cera et melle caret (Wheler. p. 423. cf. p. 6, Z.): metalla autem nunquam protulit. Sed omnino insulae natura huc nihil facit.

l) IV, 152. Descripsit locum Eust. ad D. P. 512. Cf. Boeckh. de Oecon. Athen. I, c. 9. p. 64.

striam vere ditare, neque id agentes, ut lucrum quam plurimis participaretur, quod tum maxime fit, si opificiorum materies aliunde invecta patriâ sedulitate elaborata divenditur. Nescio tamen an ita Aeginetae, pariter opificiis atque mercaturis pollentes. Neque ii Graeciae tantum totius portus et oppida suis emporis et cauponibus frequentabant, sed ipsorum urbem emporium constituentes inquilinos et mercatores omnimodos ad maiorem mercatus celebritatem ad sese allexerant. Ita Aeginam ne tum quidem, cum potentiâ fractâ etiam industria elanguisset, celebre emporium esse desiisse, infra monebitur. At eximiis laudibus hospitalem Aeginetarum animum exornat Pindarus. *Communem universae Graeciae* nuncupat Aeginam *oculum*, δίκᾳ ξεναρκεῖ κοινὸν φέγγος (N. IV, 12.), — τὰν πολυξέναν Δωρίδα νᾶσον (III, 2.), — Αἴγιναν, ἔνθα Σώτειρα Διὸς ξενίου πάρεδρος ἀσκεῖται Θέμις (O. VIII, 21.) — quam Deorum immortalium voluntas

παντοδαποῖσιν ὑπέστασε ξένοις κίονα δαιμονίαν (26.)[m]).

Neque magis universa civitas, quam singula quaeque gens, ut Lamponis (I. V, 66.), ξένων εὐεργεσίαις ἀγαπᾶται; et aequum sane, civitatem tam φιλοξέναν etiam in vicem φίλαν ξένων ἄρουραν audire. (N. V, 8.)[n]). Indidem phratriarum uni nomen additum *Euxenidarum*, documento, eam laudem Aeginetis patriam fuisse et veterem. Atque Coa illa mulier, Hegetoridae filia, post proelium Plataeense in barbarorum castris reperta inque libertatem a Pausania vindicata Aeginam tramitti vult; nempe quia fama de liberali Aeginetarum in hospites animo perfugium, atque itinera eorum maritima reditum in patriam pollicebantur [o]). Identidem exules Atheniensium, ut Aristides [p]), etiam Demosthenes, degunt Aeginae, Platonis tempore delicatuli et ganeones.

Sed abripuit nos hospitalitatis encomium ab opificiis Aeginetarum. Nuncupo myropolia, nam unguentum maxime liliaceum Aegina exportatum esse, testis est Athenaeus (XV, 12. p. 689.): negotium non ita fructuosum, sed inter Graecos quaestuosissimum. Figlinae Aeginetarum opificinae satis erat celebratae. Τὸν κέραμον Αἰγιναῖον inter notissima recenset Stephanus Byzantius [q]):

---

m) Adde Schol. in O. VIII, 28. N. III, 1. IV, 18. et carmen in calce Isthmiorum v. 6.

n) Quem ad l. v. Comm. Boeckhii.

o) Herod. IX, 76. (cf. III, 21.): minus accurate Paus. III. 4.

p) Her. VIII, 79. 81. Demosth. in Aristog. 802, 17.

q) S. v *Αἴγιναι*. Idem. s. v. *Γάζα*. καὶ οἱ κέραμοι λέγονται Γαζῖται. καί ἐστιν ὅμοιον τῷ Αἰγινῆται καὶ Αἰγιναῖοι, κατὰ τὴν διαφο-

et Pollux (VI, 16, 100.) *Αἰγινήτας*, scribit, *φησὶν ὁ Ἡρόδοτος πίνειν ἐκ χυτρίδων ἐπιχωρίων.* Respicit enim ad locum illum scriptoris: repulsa Atheniensium in Aeginam prima incursione, Aeginetas atque Argivos, *Ἀττικὸν μήτε τι ἄλλο προσφέρειν πρὸς τὸ ἱρόν, μήτε κέραμον*, decrevisse, *ἀλλ' ἐκ χυτρίδων ἐπιχωριέων νόμον τολοιπὸν αὐτόθι εἶναι πίνειν* r). Lex, quae vix ollas solas sed omnes Atticae merces complectebatur eaque sollertiae Aeginetarum saluberrima, Doriensium pio more institutis sacris stabilita, ab Herodoto autem, ut assolet, causae cuidam historicae adnexa est. Aeri Aeginetico, cuius fundendi hic populus iam Phidonis tempore non rudis fuisse videtur, proxima erat laus post Deliacum s), et inferior, ut e Plinii loco apparet, vetustate magis quam praestantia. Usus eo Myro, Polycleti etiam in materia aemulus, cuius bovem aere Aeginetico confictum Romae in foro boario viderat Plinius t): usus et Canachus Sicyonius, qui Apollinem Philesium fecit in Didymaeo Aeginetica artis temperatura u). Neque autem ipsi materiae, omnes consentiunt, sed soli officinarum temperationi omnem huius aeris honorem fuisse insitum. At vero Aeginetae non aes tantum aliunde coëmtum ipsorum sollertia nobilitarant: sed ex eo affabre facta ipsi peregre venditabant: ut eos, Plinius scribit, (XXXIV, 39.) *privatim* candelabrorum *superiorem faciem fabricatos esse, sicut Tarentinos scapum*: quae ipsa separatio opificii cultioris specimen est. Quo fortasse etiam fibulae pertinent. Nam fibulas eodem tempore, quo Atticae omnem earum usum deposuerant, Argivos et Aeginetas Herodotus tradit Doriensi origine suorumque victoria elatos sesquimaiores faciendas et tales tantummodo Dearum templis dedicandas sanxisse. *Quam fibularum speciem*, scriptor adiicit, *usque ad suum tempus Argivorum et Aeginetarum mulieres tenuisse.* Fabricabantur haud dubie apud Aeginetas fibulae, Peloponnesiorum antiquissima forma observata, maiores quidem, sed eo rarius vestem consuentes. Corinthii contra, Syracusani et veteres Attici, a specie prisca deficientes, elegantiores et crebriores adhibuisse videntur. Magnus certe et quaestuosus erat etiam statuarum mercatus. Thasiis,

---

ρὰν, ἐναντιουμένων δὲ τῶν τύπων. οἱ μὲν γὰρ πολῖται Αἰγινῆται καὶ Γαζαῖοι. οἱ δὲ κέραμοι Γαζῖται καὶ Αἰγιναῖοι.

r) V, 88. Exscripsit Herodotum Athenaeus XI, c. 107. p. 502. Cf. Boeckh. de Oecon. Athen. p. 63.

s) Plin. H. N. XXXIV, 2. XXXV, 11.

t) XXXIV, 8.

u) XXXIV, 19, 14. Cf. Paus. IX, 10, 2.

Thasiis, Pergamenis, Tarentinis, Siculis artem suam neque exiguo pretio venditabat Onatas: et maxime Syracusarum tyranni, poetarum Doriensium patroni, etiam Aegineticae arti favebant. Ceterarum denique mercium memoria licet interierit: at nescio tamen, quo compendio tam ingens servorum numerus, quantum Aeginae fuisse alibi ostendetur, tum emptionis, tum alendi sumptus compensaverit, nisi magna eorum pars mercibus industrie fabricandis et perpoliendis inservivit.

Venimus ad Aeginetarum mercaturas exteras. Quodsi Pindari, in quo nihil consilio cassum est, his in epinicio Aristoclidae Aeginetae verbis: *οὐκέτι πρόσω*

ἀβάταν ἅλα κιόνων ὑπὲρ Ἡρακλέος περᾶν εὐμαρές,
Ἥρως θεὸς ἃς ἔθηκε ναυτιλίας ἐσχάτας

μάρτυρας κλυτάς v) non temere confido: haec Aeginetarum navigationes Tartessicas indigitant. Commercia cum Asia, coniecturā fateor parum certā, e deditione Aeginetarum ad Persas ditissimorum auctoritate civium facta colligere possis. De mercaturis Aeginetarum in Ponto audi Herodotum (VII, 147.): *Xerxem, cum Abydi esset, naves vidisse per Hellespontum in Aeginam et Peloponnesum frumentum devehentia:* quas Regem dimisisse, in strategematis recenset etiam Polyaenus (VII, 15, 3.). Ex quibus apparet, frumentarias in Ponto nundinationes tum adhuc in manibus Aeginetarum fuisse, et Aegina eversa demum, sub belli Peloponnesiaci tempora, ad Athenienses transiisse. Atticae certe naves illae non erant, etiamsi legem, *ne quis Atticus frumentum alibi quam in Piraeeo venumdaret*, tum nondum latam fuisse, crediderim. At vero Aeginetis tanta annona opus erat, ut horum commerciorum vix possent aemulum pati: tamen frumentum ex emporio Aeginae etiam in Peloponnesum exportatum esse videtur. Mancipiorumne maiorem numerum ex Ponto an e Creta acceperint Aeginetae, dubium relinquo. Commercia tamen cum Cretensibus mercaturarum Aegineticarum magnam partem confecisse, Cydonia Aeginetarum in Creta colonia, Cretenses servili haud dubie conditione Aeginae incolae, Aeginaea moneta inter Cretenses sollennis, quorum cuiusque suo loco mentio fiet, perspicue docent. Creta autem, quippe quae unius diei itinere a Peloponneso, diei et noctis spatio ab Africa abest, mercatori in Aegyptum abeunti peropportunum erat diversorium.

---

v) N. III, 20. Et cf. IV, 69. Quod iterum in Aeginetam dicitur. *Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ πέρατον. ἀπότρεπε αὖτις Εὐρώπαν ποτὶ χέρσον ἔντεα ναός.*

At enim cum Amasis, Naucrati in Aegypto Graecorum emporio constituta, civitatibus singulis fana et delubra deorum prope urbem exstruenda concessisset: tum novem Ionum, Doriensium et Aeolensium populi communi sumptu Hellenium aedificaverant; tum eae gentes, quae vel primas vel eximias in Aegypto mercaturas exercuerant, Aeginetae, Samii, Milesii, suorum deorum templa seorsum collocaverunt, Iovis, Iunonis, Apollinis w). Haec certe Cambysis in Aegyptum invasione, quae Ol. LXIII. contigit, multo priora sunt: quae vero Eusebius ad n. MCCLXVI ex epochis Castoris tradidit: *Milesios Olympiadis VII a. 3. Naucratim urbem construxisse*, ea iure in dubitationem duxerunt Scaliger et Wesselingius x): contra quos quanquam Heynius y) epochae Castoris patrocinium suscepit, nihil tamen bonae frugis attulit neque ad rem desperandam afferre poterat. Nam primum in verbis Herodoti (II, 179.) ἦν δὲ τοπαλαιὸν μούνη ἡ Ναύκρατις ἐμπόριον καὶ ἄλλο οὐδὲν Αἰγύπτου — τοπαλαιὸν illud temporibus Persarum, quibus cuique ad quodque Nili ostium aditus patebat, non autem Amasidis aetati opponi, Herodoti capite perlecto nemo non intelligit. Iam enim annos septuaginta ea Aegyptus, quam Herodotus visebat, Magno Regi serviverat. Atqui Colaei Samii iter Aegyptiacum ab eodem scriptore memoratum (IV, 152.) in ipsum Psammetichi regnum incidit (Ol. XXXVII); qui quanquam primus maxime Ionum amicitiam fovit, neutiquam tamen urbem incolendam iis tribuere poterat z): fabula autem, Herostratum Naucratitam iam Olymp. XXIII Paphi in Cypro Veneris imagunculam emisse, tradita nobis a Polycharmo Naucratita a), ioco magis, credo, quam serio pro illa sententia afferri poterit. At Homerica et mythica Graecorum cum Aegypto commercia ab hac quaestione arcere liceat. Neque adeo ante Cyaxaris tempora Milesios in sinum Bolbiticum appulsos et inde in Saiticam praefecturam delatos Naucratim condidisse, sententia est Strabonis (XVII, 801.): quanquam Geographorum eruditissimum aliena im-

---

w) Her. II, 178. Ab his gentibus etiam insulae Nili, *Chius*, *Lesbus*, *Cyprus*, *Samus* aliaeque multae, quarum Hecataeus ap. Steph. Byz. s. v. Ἔφεσος mentionem injicit, dictae esse videntur.

x) Ad Euseb. p. 73. ad Herod. l. c. Cf. Heeren. in Ideis de Pol. Merc. T. II, p. 719., qui tamen ad has disputatiunculas descendere dedignatus est.

y) N. Commtr. Soc. Gott. T. II, p. 50. Cui assentire videtur Ukertus Geogr. p. 38.

z) Cf. Diod. S. I, 67. Dicaearch. ap. Schol. Apoll. Rh. IV, 272.

a) Et quidem ap. popularem suum XV, 675.

miscuisse et bellum Milesiorum cum Inaro et Naucratim ab iisdem conditam pravissime permutasse manifestum est. At Stephani Byzantii et inde Suidae verba: Ναύκρατις· ἀπὸ Μιλησίων τότε θαλασσοκρατούντων, ex ipso nostro Eusebio, quem Stephanus et alibi allegavit [b]), deprompta existimo. Denique mihi quidem persuasissimum est, illud quidem: *mare obtinent Milesii*, a Castore ad lacunam quandam epocharum solidandam iniectum esse; et movere eum poterat nonnullarum inter octoginta illas Milesiorum colonias deductio mythice ad epochae nostrae tempus recedens: sed additamentum futilissimum: *construxeruntque urbem Naucratim*, ab ipso Eusebio gravi anachronismo additum esse: nam si omnes septendecim Castoris epochas comparaveris, in quavis: *mare obtinuerunt Lydi, Pelasgi, Phoenices* etc. annorumque numerum nude appositum, nihil autem praeterea observabis. — Sed revertimur ad Aeginetas.

§. 2. Coloniae, ditio, classis.

Aeginetas crebris itineribus in Italiam devenisse, certissime evincitur loco Strabonis (VIII, p. 376.): *eos praeter Cydoniam condidisse coloniam in finibus Umbrorum:* quam et quando, fateor, me ne suspicari quidem. Fortasse in terra, quae olim innumeris oppidis florens pauca ex iis usque ad Romana tempora servaverat, et haec Aeginetarum colonia funditus interierat [c]): fortasse Pisaurum, coloniam Graecam in numis [d]) manifeste prodens, quam Siculorum fuisse Hannibal Olivierius tantum coniecit, incoluerant Aeginetae. Cydonia inter urbes Cretae commerciis Peloponnesiorum maxime opportuna erat: etiam nunc, Hierapytnae, Cnossi, Rhitymnae portubus desolatis, Canea celebre est emporium [e]). Coloniam mythicam exhibent haec Stephani: Δία πόλις Θεσσαλίας, Αἰακοῦ κτίσμα. Quae in memoriam revocant Diam, Ogygiae Phliuntis numen, Aeginae metropoleos. Et memoranda Dia νῆσος καὶ πόλις Πελοποννήσου, περὶ τὸ Σκύλλαιον [f]), facile colonia Aeginetarum, ut insula vicina et situ commoda. E Stephani Byzantii hisce: Αἰγινήτης πολίχνιον καὶ ποταμὸς Παφλαγονίας. τὸ ἐθνικὸν ὁμοίως διὰ τὴν τοῦ πρωτοτύπου πρόληψιν. ἔοικε δὲ τὸ ὄνομα δηλοῦν τὴν ἐν τῷ Πόντῳ Αἴγιναν. Παφλαγονία γὰρ τῷ Πόντῳ συνεχής, quanquam epitomatoris negligentia admodum ob-

---

b) S. v. *Βλεννος*.

c) V. Cluver. Ital. ant. II, p. 641.

d) Eckhel. D. N. I, p. 96.

e) Savary epist. 29. p. 254. sq.

f) Steph. l. l. et Schol. Theocr. II, 45.

scuratis, augurari tamen licet, Aegineten vel Aeginetin g), oppidum inter Ionopolim et Cimolim situm, Aeginetarum fuisse coloniam. Reminiscimur etiam loci supra allati (11. n. a.) Sinopen *filiam dici Martis et Aeginae*: unde, quanquam Sinopae conditores modo Milesii modo Critias Cous dicuntur h), tamen etiam Aeginam vel vicinam Aeginetin colonos contribuisse collegerim. Neque etiam vulgata mythologia Sinopen Asopi filiam nuncupasset, nisi Peloponnesios vel Boeoticos colonos significare voluisset. Nihilo certe graviora attulit Ignarra (de phratr. II, Prol. §. 2. p. 76.) qui, ut Itali solent, ex inscriptione illa

Η ΦΡΗΤΡΙΑ ΗΟΝΙΟΝΑΕΩΝ ΛΕΥΚΙΟΝ
ΕΡΕΝΝΙΟΝ ΠΥΘΩΝΟΣ ΥΙΟΝ ΑΡΙΣΤΟΝ κ. τ. λ. i).

Neapolitanam Οἰνωναίων id est *Oenonaeorum ex Aegina* phratriam extorsit k). Denique Hippuridis prope Theram mentionem iniecerat Pythaenetus l): unde Aeginetas aliquando insulam eam tenuisse, quae cum vicina Hippurissusa particula tantum Astypalaeae est undarum vi divulsa, magis potest divinari quam ostendi m). Sunt coniecturae fateor omnia haec: quibus non egeremus, si Aeginetae fortuna usi essent diuturniore. Neque tamen Aeginetae multas colonias condere poterant, ob penuriam hominum liberorum, nec voluisse videntur, ob exiguum coloniarum in mercatura fructum. Quid Corinthios et Milesios innumerae ipsorum coloniae iuverunt? quid etiam Phoenices? Opus erat profecto Poenorum providentia anxiaque cautione, ne eorum coloniae metropoli magis officerent, quam prodessent. Et fere semper mercaturarum cum

---

g) Ita forsitan rectius gentili feminino. V. Peripl. Arrian. T. I, p. 15. Marciani p. 72. Anonymi T. III, p. 7. Huds. Cf. Cellar. III, 8, 53. T. 2. p. 266. — Etiam Acacidarum in Leuce insula sacra verisimilius a nautis Aeginetis, quibus patria erant, quam a Crotoniatis, ut Paus. III, 19, 11. tradit, instituta esse.

h) Str. XII, 546. Phlegon ap. Steph. Byz. s. v. Eust. in D. P. 775. Vinding. Hell. p. 421. Hinc corr. Frgm. Scymni Ch. v. 212. p. 55. Hds.

i) V. Reines. Cl. I, n. 203. Martorell. Thec. Calamar. p. 653. Donat. p. 238. Ignarra l. c. VI, p. 173.

k) Martorellius legerat *τῶν Ἰοναέων* s. *Ἰωναίων*. In autoschediasmatis illis, quos classiarii aliive homunculi columnis gypsatis areae in Campo Pompeiorum militari inscripserunt (explicuit si vis C. Th. de Murr. in Spec. ant. script. Gr. tenuioris) bis *IONAEI* legitur. Inscripsit miles Neapolitanus nomen phratriae suae.

l) Ap. Schol. ad Apoll. Rh. IV, 1707. cf. Plin. H. N. V, 31. Tzsch. ad Mel. III, 2. p. 746.

m) Clavierus Aeginetarum commerciis sacra Apollinis Delum invecta tribuit: tanquam si sacra ab omnium Cycladum incolis celebratissima gentis alienae mercaturis inferri potuerint.

terra prorsus aliena maius lucrum fuerat, quam cum eādem coloniis consitā.

Verum etiam in litoribus continentis finitimis Aeginetas colonias, agros, portus habuisse, duo praecipue loci mihi persuaserunt. Ὁ Μάσης ἐπίνειόν ἐστι Αἰγινητῶν annotant Scholia Veneta ad Il. B. Catal. v. 69.

οἵ τ' ἔχον Αἴγιναν Μάσητά τε κοῦροι Ἀχαιῶν.

Neque improbabile, Maseta sive Masetum, olim oppidum florens, Pausaniae tempore navale Hermionensium [n], Aeginetarum, dum horum res vigebant, fuisse in ditione [o]. Haec autem sunt verba Strabonis (VIII, 375.): Αἴγινά ἐστι μὲν καὶ τόπος τις τῆς Ἐπιδαυρίας, ἐστὶ δὲ καὶ νῆσος [p]. Igitur in Epidauria, quae tum dicebatur, Aeginetae oppidum condiderant Strabonis adhuc tempore exstans [q]. Atque si litus Argolidis a Cenchreis usque ad Epidaurum trecenta fere stadia patens et portubus quidem commodum sed oppidis vacuum spectas: hic facile fieri potuisse, ut Aeginetae fundos sibi pararent, forsitan concesseris. Sexaginta ab Acrocorintho stadiis in montes versus sita erat Tenea, libera cum Romani Corinthios urgerent, ergo in finibus Corinthiae posita [r]. Athenienses apud Thuc. IV, 42. ad Corinthiam appellunt, inter Cherrhonesum et Rhetum, ab Isthmo stadiis XX, ab urbe LX, a Solygeo colle et castro, unde olim Dorienses cum Aeolensibus in urbe bellaverant, in mediterraneam versus XII [s]. Igitur et Solygeum castrum, idque in terminis Corinthiae exstructum, ab Isthmo non ultra triginta stadia distabat. Hinc Epidauriorum ditio pertinuisse videretur [t], nisi Aeginetae intercedebant: Argi-

---

n) Str. VIII, 376. Paus. II, 36, 3. Eust. ad l. c. Steph. s. v. Gell. Arg. p. 132.

o) Nolo quidem adversari, si quis Aeginae et Masetis apud Homerum coniunctione Grammaticos facile in errorem induci posse, arbitratur. At fortasse, quod ex auctoritate horum scholiorum, illud ipso ex oppidorum ordine a Rhapsodis Argivis mire perturbato colligere debebamus.

p) Cuius oppidi homonymiā quosdam addit, ut in Homero *νῆσόν τ' Αἴγιναν Μασ.* emendarent, permotos esse. Cf. Eust. ad Il. l. c. p. 603. Pol.

q) Delineatio Argolidis Gelliana inter Epidaurum et Didymum M. in regione foecundissima ponit *Aginetam* vicum. Equidem tamen hanc Novam Aeginam potius e septentrione Epidauri pono.

r) Paus. II, 5. 3. Str. VIII, 380, c.

s) Cf. Polyaen I, 39.

t) Paus. VIII, 1. 1. Mela. II, 3.

vorum enim agros haud dubie terminabat mons Arachnaeus, cuius in declivi sita erat Lessa vicus, in contiguo Epidauriae et agri Argivorum [u]). Sed in ipso Arachnaei montis culmine arae erant Iovis et Iunonis, ubi Panhellenico ritu preces fiebant in penuria pluviae [v]). Ab Epidauro autem Cenchreas versus post Spiraeum promontorium nihil praeter Anthedonem et Bucephalum portum recensent Plinius et Ptolemaeus [w]). Quos olim Aeginetarum fuisse, iam mihi persuasum habeo. Cui argumentationi fortasse infra momenta quaedam accedent.

Stephanus Byzantius Aeginas tres noverat: ex quibus quae altera et tertia fuerit, epitomator nobis invidit. Sed altera haud dubie nostra erat Epidauria, alteram interpretes Stephani, verbis scriptoris modo exhibitis seducti, in Ponto posuerunt: ego potius de illa intelligo Aegina, quo virginem Ietin, Homeri matrem futuram, cum a daemone quodam compressa uterum ferret, devenisse et hinc a praedonibus raptam esse, Aristoteles in Poetica [x]) tradiderat, χώριον τὸ καλούμενον Αἴγιναν, nescio an coloniam Aeginetarum. Quartam et quintam in Itinerario Antonini (p. 516, 517. Wess.) ad litus Italiae et inter Aeolias sitas invenies, nomina, quae aut corrupta videntur aut vitio tralata. Tametsi etiam de his nihil finiverim.

Ex portubus insulam ipsam cingentibus duorum memoria superstes est: quos Scylax (p. 21.) coniunctos, Pausanias (II, 29, 6. 7.) singulos enumerat; alterum τὸν κρυπτόν, mole munitum, quam Telamonem exulem iecisse fama erat, opere haud dubie vetusto, quod mos Graecorum cum fabulis patriis coniunxerat, atque veterum mercaturarum indicio; alterum, Pausaniae tempore celebriorem, vicinum templo Veneris. Cuius cum et nunc in litore caurum versus supersint vestigia, hunc portum compertum est obiectum fuisse Corinthio, alterum autem, verisimile, spectasse Salaminem. Neuter igitur versus ostia maris

u) Paus. II, 25, 9. 26, 1. Gellius in Lessae situ falsus est.

v) V. Paus. II, 25. 9.

w) Apud quem nisi pro Ἀθηναίων λιμὴν e Plinio Ἀνθηδὼν λ. rescribendum est (cf. Cellar. II. 13, 17, p. 985): portum Aeginetarum, cum Atheniensibus subiicerentur, horum in ditionem venisse, coniectari potest. Diceres hunc eundem esse ac Πείραιον illud τῆς Κορινθίας, de quo Thuc. VIII, 10. ἔστι δὲ λιμὴν ἔρημος καὶ ἔσχατος πρὸς τὰ μεθόρια τῆς Ἐπιδαυρίας. At fallerere. Sicut enim Piraeus v. Piraeum etiam est ad sinum Crissaeum (Palmer. Exc. p. 71): ita nomen in portu transitorio frequens fuisse videtur. Cf. Weiske ad Xenoph. Ages. p. 419. et Sturz. Lex. Xen. s. v.

x) Ap. Plutarch. Homer. 3. V, 2. p. 1059. Wytt.

Saronici patebat, quo tutiores essent a ventis hinc maxime incumbentibus.

Mercaturis creverat Aeginetarum classis, civitatis robur. Erant quidem etiam Aeginetarum omnes fere naves usque ad bellum Persicum, ut certe docet Thucydides (I, 14.), pentecontori; et magnum triremium numerum primi sibi paraverunt Siculorum tyranni et Corcyraei, quorum ad res navales evehendas Phaeaces, Liburni, Eretrienses, Corinthii conspiraverant: sed et tum Aeginetae maritimarum virium certamine Atheniensibus longe erant superiores y), neque postea exiguum triremium numerum habuisse videntur z). Praestabant quippe naves Aeginetarum agilitate a), ex qua fere sola apud veteres praestantia classis iudicatur, tum navium ipsarum constructioni, tum remigum dexteritati insitā b): δολιχήρετμον Aeginam appellat Pindarus (O. VIII, 20.), ut Phaeacas Homerus, ac si longitudo remorum velocitatem adiuvisset; idemque insulam εὔανδρον καὶ ναυσικλυτάν (N. V, 9.), cuius aeque egregiae νᾶες ἐν πόντῳ καὶ ἐν ἅρμασιν ἵπποι (I. IV, 5.) haud cessat celebrare c). At Thucydidem, qui nihil magnum putans nisi belli Peloponnesiaci momenta, vetera tempora et minores civitates saepe iniuste spernit, in hisce animus suus fefellit. Iam enim ante proelium Marathonium, Ol. LXXII, Aeginetarum septuaginta naves totidem Atheniensium et Corinthiorum triremibus occurrerunt d). Num eae pentecontori? — Post ad pugnam Salaminiam triremes triginta ablegant et numerum longe maiorem ad insulam defendendam et fretum Persis praecludendum, ut infra apparebit, retinent e): denique una pugna septuaginta Aeginetarum naves ab Atheniensibus capiuntur f). Αἰγινήτας θάλατταν κατέχειν τῷ πλήθει τῶν νεῶν dicit Plutarchus (Pericl. 167.): quid quod Aelianus (V. H. XII, 10.) Αἰγινῆταί ποτε, scribit, ἐδυνήθησαν τὰ μέγιστα ἐν τοῖς Ἕλλησιν εὐφορίαν τινὰ χρό-

---

y) Athenienses οὐκ ἀξιόμαχοι συμβαλέειν Her. VI, 88. Paus. II, 29, 5.

z) Χρημάτων καὶ τριηρῶν ἐπορεῖτο, Diod. XI, 54.

a) Ἄριστα πλωοῦσαι Herod. VIII, 46.

b) Αἰγινῆται μεγάλην ἐμπειρίαν ἔχοντες τῶν κατὰ θάλατταν ἀγώνων, Diod. XI, 78.

c) Illud in carmine Cod. Mediceo affixo v. 1. recurrit. Ναῦς Αἰγιναία Suidas T. I, p. 642. Zonaras p. 77.

d) Her. V, 91. Triremes esse, evicit Boeckh. Oecon. Athen. II, 21. T. I, p. 275.

e) VIII, 46.

f) Thuc. I, 105. Pars tamen sociae.

των καὶ ἐγχειρίαν λαχόντες· δύναμιν γὰρ ναυτικὴν ἔσχον καὶ ἦσαν μέγιστοι g). Quae Aeginetarum vires navales Castorem, ut in epochis suis imperium maris per aliquod tempus Aeginetis tribueret, permoverunt. Et iam Herodotus (V, 83.) *Aeginetas, cum primum ab Epidauriis defecissent, Epidauriam depopulatos esse*, ὥστε δὴ θαλασσοκράτορας ἐόντας h). Hieronymus in latino ipsius Chronico Eusebiano ad annum ex. ed. Vall. CIƆIƆXI, Scal. CIƆIƆVIII, Ol. LXVIII, 3. *mare* scribit *obtinuerunt Aeginetae decimi septimi annos viginti usque ad transitum Xerxis.* Sed iam monuit Scaliger i) *transitum Xerxis non contigisse* Ol. LXXIII, 3. sed LXXV, 1, *itaque haec Sancti Hieronymi esse nugatoria et ex Graeco argui ubi legatur tantum:* Αἰγινῆται ἐθαλασσοκράτησαν ἔτη ι. k) Contra Heynius l) cum Pontaco in Eusebium numerum infert viginti annorum, *facile*, ut ait, *e Palatino primo ad viginti quatuor augendum. Ita enim annum Eusebianum* CIƆIƆXI, *qui in Ol. LXVIII, 4. cadat, bene concinere et quartum inde et vigesimum annum eum esse, quo Xerxes Graeciam invaserit.* Nisi haec ipsa etiam in libro MS emendationem nimis saperent. Sed in istis Castoris numeris et epochis operam et oleum perdiderunt viri docti m). Mihi quidem verba „*usque ad transitum Xerxis*" expungenda, numerus vicenarius ut genuinus restituendus et annus, quo epocha terminatur, sextus ante pugnam Salaminiam, is constituendus videtur, quo Themistocles civibus suis, ut vectigalia e metallis Lauriensibus classi struendae darent, persuasit n). Sequuntur enim apud Castorem in ea dominatione Aeginetas Athenienses, praecesserant Eretrienses.

§. 3. Moneta Aeginetarum.

Aeginetarum autem mercaturis longinquis praeter classem nihil aeque subvenerat ac moneta ipsorum: quam om-

---

g) Cf. Perizon. ad l. Casaub. ad Polyb. p. 205. Melot. in Act. Ac. Inscr. T. 23. p. 161.

h) Cf. Diod. XI, 18, 78. Cic. de off. III, 11. Valer. Max. 2. ex. 8. Scheffer de mil. nav. II, 1. p. 60.

i) Thesaur. Tempp. p. 92.

k) Euseb. p. 43. Syncell. p. 257.

l) Nov. Commtr. Soc. Gotting. II, 2, 68.

m) Ut ipse fatetur Heynius Opuscc. Acc. VI, p. 499.

n) V. Boeckh. de metallis Lauriensibus in Act. Acad. Berolin. anni 1815. p. 117. sqq. Quodsi Miltiades septuaginta naves ad expeditionem Pariam duxit; et e lege Themistoclis vicenae quovis anno naves struebantur: ad classem ducentarum triremium complendam anni sex et sex menses sufficiunt, totidem quot, proelii ipsius anno supputato, Castoris epocha a pugna Salaminia abest.

nium esse antiquissimam iam inde, quod gravissima est, coniicias [o]). Saepe enim compertum habemus temporum inopia et avaritia crescente numorum modum esse deminutum, nunquam auctum. Ac gravissimum fuisse numisma Aeginaeum, testatur consensus grammaticorum [p]); quorum princeps, Pollux IX, 6, 76. ita: ἀλλὰ μὴν τὴν Αἰγιναίαν δραχμὴν μείζω τῆς Ἀττικῆς, δέκα γὰρ ὀβολοὺς Ἀττικοὺς ἴσχυεν, οἱ Ἀθηναῖοι παχεῖαν δραχμὴν ἐκάλουν, μίσει τῶν Αἰγινητῶν Αἰγιναίαν καλεῖν μὴ θέλοντες. Quo loco collato cum his Hesychii: Λιπτὰς καὶ παχείας. Ζάλευκος ἐν Νόμοις τὰς δραχμάς, λεπτὰς μὲν τὰς ἐξωβόλους, παχείας δὲ τὰς πλέον ἐχούσας [q]), Bentleius [r]) et hinc spuriam Zaleuci legum fidem extorsit. *Quid enim,* ait, *Aeginetae Locros offenderant? qua ratione Zaleucus Aeginetarum et Atheniensium odiis, quorum initium retulit Herodotus, multum antiquior, denominatione uti poterat ex odiis illis orta?* Levissimum sane rei verissimae argumentum. Festivus locus est Diphili Polypragmone apud Athenaeum (VI, p. 225. 6.) de piscatoris cuiusdam vafritie:

> οὗτος ἀποκρίνετ' ἂν ἐρωτήσῃς, πόσου
> ὁ λάβραξ; δέκ' ὀβολῶν· οὐχὶ προσθεὶς ὁποδαπῶν·
> ἔπειτα δ' ἂν τἀργύριον αὐτῷ καταβάλῃς,
> ἐπράξατ' Αἰγιναῖον, ἂν δ' αὐτὸν δέῃ
> κέρματ' ἀποδοῦναι, προσαπέδωκεν Ἀττικά [s]),
> κατ' ἀμφότερα δὲ τὴν καταλλαγὴν ἔχει.

Hic ipse locus, etiam nummulos aereos Aeginaeos fuisse, commonstrat. Obolus saepius occurrit, ἐξαιρετόν τι ἐν ἀργυρίοις, ut ait Eustathius [t]), valore obolus Atticus cum besse. Igitur triobolum Aeginaeum [u]) quinque obolos Atticos aequabat. Drachma Aeginaea sex obolorum Aeginaeorum, decem Atticorum [v]). Stater argenteus haud dubie is est, cuius mentionem iniicit Dosiadas (ap. Athen. IV, 143. a.) de Syssitiis Cretensium: τῶν δὲ δούλων

---

o) De Aeaco numorum inventore v. p. 21, i. cf. p. 57.

p) Hesych. Αἰγείναιον (quam formam retinendam esse mox apparebit) νόμισμα ἀργυροῦν μέγα. Etym. M. ridicule: ἐλέγετο δὲ καὶ τὰ μέγαλα Αἰγιναῖα ἀπὸ τοῦ νομίσματος.

q) De quibus Gronov. de pec. vet. III, p. 298. Hemsterh. ad Poll. IX, 76. p. 1050.

r) Phalarid. p. 346. ed. Londin. 1699.

s) Ita scripsi pro Ἀττικὰς. Schweighaeuserus Ἀττικοὺς corrigit, subintelligens χαλκοῦς, vel, ut prave dicit, ὀβολούς.

t) Ad Il. II. p. 604. Pol. V. Thucyd. V, 47. Dicaearch. ap. Athen. IV, p. 141. c. Favorin. et Hesych. et Steph. B. s. v.

u) Xenoph. Hell. V, 2, 21.

v) V. Poll. IX, 6, 76.

ἕκαστος Αἰγιναῖον φέρει στατῆρα κατὰ κεφαλήν. **Aureus** in donariis templi Hecatompedon ap. Chandl. II, 44, 17. Θράσυλλος Εὐωνυμεὺς χρυσὸν στατῆρε II. Αἰγιναίω [w]. **Mina**, Μνᾶ Αἰγιναία, centum drachmarum vel mille obolorum Atticorum [x]. Talenti eadem ratio [y].

Qui numi ut regis Argivi auctoritate in oppido iam tum mercaturis florente percussi sunt: ita omnino vetustis et peculiaribus Doriensium mensuris et ponderibus innituntur, neque mercaturis tantum Aeginetarum ad omnes Dorienses perlati sunt. Mina Aeginaea, Plutarcho teste Spartanorum numismati ferreo, quatuor aereorum, pondere aequalis erat. Drachmae et Oboli pondera per disciplinam Coam in artem medicam invecta sunt [z]. De modiis aridorum unus locus est Luciani [a], ubi pera quaedam ὅλους δύο μεδίμνους Αἰγινητικοὺς capiens ut auro plena sit, optatur. Sed et hic sufficit. Iidem autem numi, qui olim Phidonei audiebant, Aeginaei dicti sunt, et non solum in Phidonis regnó, sed etiam in cetera omni Peloponneso usu valebant. Ita apud Thucydidem V, 47. Argivi, Elei et Mantinenses cum Atheniensibus, apud Xenophontem (H. Gr. V, 2, 14) Peloponnesii inter sese de stipendiis et commeatu obolis et drachmis Aeginaeis paciscuntur; ita in vetere inscriptione Tegeatica inter Fourmontianas, inter subsidia bellica Lacedaemoniis data

ΣΤΑΤΕΡΑΣ ΑΙΓΙΝΑΙΟΣ

recensent. Achaeos etiam posteris temporibus uno numorum genere usos esse, docet Polybius (II, 37.) haud dubie Aeginetico. Παχείη δραχμῇ, τὸ δίδραχμον Ἀχαιοί, Hesychius: ubi error, quo drachma decem obolorum cum didrachmo duodecim aequante permutatur, haud magnopere premendus erat [b]. In Creta numos Aeginaeos in usu fuisse, probat Dosiadas.

Etiamsi igitur e Sotionis apud Gellium I, 8. loco vel potius librarii cuiusdam glossemate· μύριαι δραχμαὶ ἢ τά-

---

w) Cf. 47, 46.

x) Plutarch. Apophth. Lacon. p. 226. Hero ccc audando.

y) Poll. IX, 6, 86. Cf. P. Manut. ad Cic. epist. fam. II, 17. Sperling de numis non cusis l. c. 6. 30. p. 190. Hostus de R. Num. III, 1, 33. 7, 46. Salmas. de usur. 15, p. 432. Gronov. de pec. vet. III, 299. 329. 355. IV, 806. Toup. Epist. Crit. p. 107. Eckhel D. N. II, 1, 25. maxime Boeckh. Oecon. Athen. I, 6. p. 17. 24.

z) Steph. Mackius in Tract. de Ponder. Hippocratis sui T. II, p. XIII.

a) Timone 57. T. I. p. 157 R.

b) V. Sam. Petit. Obss. I, p. 41, 59. Hemsterh. l. c.

λαυτον, non multum colligi possit: Gronovium tamen non deserendum puto, qui exploso talento Achaico numos Corinthios eosdem statuit atque Aeginaeos, tum ob Phidonem Argivum teste Didymo (ad P. O. XIII, 26.) κόψαντα Κορινθίοις τὸ μέτρον, tum quia litra Syracusana, teste Aristotele apud Pollucem (IV, 24, 174), obolum Aeginaeum aequabat c). Δεκάλιτρον autem idem affirmat δύνασθαι δέκα ὀβολοὺς, εἶναι δὲ στατῆρα Κορίνθιον. Nam staterem, numum magis arbitrarium, civitas quaevis mercatoria, Cyziceni, Phocaeenses, Corinthii, propria sibi ratione constituerant. Neque non Syracusana ratio, quanquam ab aequali oboli et litrae pondere orsa, in compositione tamen et proportione numorum magnopere discrepabat. Erant litrae etiam Agrigentinorum d), Gela oriundorum quam condiderant Rhodii. Atque Rhodios vetus Aeginetarum talentum adscivisse, cum Cistophororum ratione nihil obscurius sit et Festus sibi ipse adversetur, suadet Hero Alexandrinus laudatus a Gronovio: τὴν Αἰγιναίαν καὶ τὴν Ῥοδίαν μνᾶν τῆς Πτολεμαϊκῆς εἶναι πενταπλάσιον e).

E numis qui supersunt Aegineticis, eum praepono qui litteris AIΓINA id est Αἰγινατᾶν f) signatus est. Quanquam elegantia notarum tempora ferme Macedonica arguere videtur.

---

c) In Thucyd. I, 27. etiam libri et Scholion lectionem: πεντήκοντα δραχμὰς καταθέντα ἐν Κορινθίοις μένειν prodere videntur: quanquam appellationem drachmae minaeque Corinthiae apud Corcyraeos fuisse doceor.

d) V. Aristot. ap. Poll. IV, 174. IX, 6. 80.

e) Nescio an haec argumentatio improbanda sit. E rationibus a Boeckhio in Oecon. Ath. 6. p. 17. sq. propositis, quae ex interiore ipsarum connexione argumenta firmissima petunt, monetae Atticae ad Euboicam haec est proportio: $72\frac{32}{69}$: 75, ad veterem Atticam ante Solonem usitatam haec: $72\frac{32}{69}$: 100. Atqui Aeginaeae pecuniae oboli sex aequant Atticos decem: hinc computatur, Aeginaeae monetae ad Euboicam talem fuisse rationem $120\frac{160}{207}$: 75, ad veterem Atticam autem hanc: $120\frac{160}{207}$: 100. Unde elucet, Euboicae et veteris Atticae rationem ab Aeginaea omnino fuisse diversam, neque potuisse comparari. At Solon pecuniam Atticam ita instituit, ut ad Aeginaeam se ita haberet, ut numerus senarius ad denarium: si quidem scriptorum testimoniis ulla fides debetur. Quo id consilio? nisi quia Aeginaeae monetae tanta erat celebritas, ut huic maxime novam quamque accommodari necesse esset.

f) Gentile Αἰγινάτης forma Peloponnesiis propria memorat Stephanus s. vv. Κάπιννα, Βέμβινα, Βίλβινα (ubi pro Βίλβινα πόλις Περσική· τὸ ἐθν. Βιλβινάτης ὡς Αἰγινάτης, cum Persicorum gentilium prorsus alia fuerit ratio, Βίλβ. πόλις Πελοποννησιακή· scribendum videtur) cf. s. v. Ἀμφιγένεια.

Caput arietis cum monogrammate litteras A. et I. involvente)-(*dimidia navis.* ΑΙΓΙΝΑ. AE. III. g). Addo hos; *Cpt. ar.*)-(*quadratum quadripartitum incusum* AR. III. h) — *Cpt. ar.* ΑΙΓΙ)-(*prora navis* ΑΙΓΙ. AE. III. i).

Antiquissimis Aeginae numis adnumeraverat olim Begerus k) hunc: *Scutum ancile* ΦΙΔΟ)-(*urceus impendente uva:* quem tamen Barthelemyus l) ex scuto Thebanum, e fabrica, posterioribus temporibus cusum esse, perspexit. In memoriam igitur Phidonis signatum coniicit. Sed ego ne id quidem concesserim: neque enim intelligo, quid Boeotos moverit, ut tyrannum Argivum numis reciperent, neque litterae ΦΙΔΟ cum nomine Φείδωνος ita consentiunt, ut iuste aliquid inde elici possit.

Sequantur numi litteris ΑΙΓΙΝΗ id est Αἰγινητῶν signati: quae nominis forma ut sola est, qua Iones et Attici usi sunt, ita etiam circa tempora foederis Achaici in Aegina ipsa usurpari coepta esse videtur m).

Arietis cpt. Monogr.)-(*navis dimidia.* ΑΙΓΙΝΗ. AE. II. (si recte exhibetur) n). — *Ariet. cpt.* ΑΓΛΑ)-(ΑΙΓΙΝΗ. *navis dimidia* AE. III. o).

---

g) Edidit Haym. Thes. Brit. I, tb. 21. n. 6. p. 224. Gesn. N. P. 5. 36, 228. Pfau Cat. p. 13. Rasche Lex. I, 1, 112. Suppl. I, 229. n. 4. De monogr. Froehlich. Comp. p. 58. Consimilem habet Eckhel. Cat. Vind. I, 114.

h) Hunter. Nomoph. Tb. 3. f. 4. p. 13. Haym. 3. p. 218. c. Mionnet T. II, p. 144. n. 1. Eckhel. D. N. II, 225. Rasche S. I, 229. n. 1. Consimilem Mionnet. VI, 614. cf. 627.

i) Mus. Arigon. Pop. I, t. 1. f. 7. Gesn. 229. R. S. n. 5.

k) Thes. Brandeb. I, p. 279. cf. Wacht. Archaeol. num. p. 38. Contra hos Sperling de num. non cusis, cum quo litigat Schott. Misc. Beroil. T. 1. p. 32. sq.

l) Act. Ac. Inscr. T. XXVI, p. 542. cf. Eckh. D. N. II, 196. sq.

m) Cuius nominis de accentu v. Steph. Byz. s. v. *Αἴγιναι*, ubi scribendum est — *ἔστι δὲ τρόπον τὸν Αἰολ.* et mox *τὸ δὲ Βαργυλιήτης καὶ Μασσαλιήτης τέτραπται* (*Βαργυλιάτης* enim in numo C. Caesaris ap. Harduin. p. 32. et Stephanum s. v.; — *ήτης* autem in ceteris numis, inscriptione ap. Pococke P. I, c. 4. s. 3. p. 44. idemque Ciceroni quoque ad Divers. 13, 56, cf. Duker. ad Liv. 37, 17, et Plinio H. N. V, 29 restituendum est — *Μασσαλιήτης* vero in numis obtinuit, *Μασσαλιώτης* contra habet Stephanus. cf. Vales. Exc. App. p. 77. Holsten. ad Steph. p. 14. Donat. Inscr. 66.). Quem canonem autem ponit Stephanus, ex quo *Βεμβινητής*, *Μαλειητής*, *Οἰνειητής* scribendum esset, is aperte falsus est: cum nullum argumentum sit, quo commutatio dialecti etiam accentum mutaverit.

n) Catal. Num. Bentinck. II, 1081.

o) Eckhel. D. N. II, 225. R. S. I, 229. n. 2.

Signa minus consueta habet ille: *Cpt. barbatum et laureatum*, Aeaci ut videtur.)-(*iuvenis arcum tendens*: circumstant utrinque litterae ΑΙΓΙΝΗ. AE. III. p) Iuvenis, qui modo Apollo modo Cupido dicitur, Cydon est, coloniae heros tutelaris, in metropolim, ut saepe, accitus, eâdem prorsus formâ in Cydoniatarum numis occurrens q).

Tempori Antonii triumviri, cum Aegina Atheniensium esset, tribuo hosce: *Cpt. Palladis galeatum*)-(ΑΙΓΙ. *Noctua.* AE. III. r) *Cpt Palladis gal.*)-(ΑΙΓ *Noctua diotae insistens, in area spica, omnia intra lauream.* AR. III. s)

Post Hadrianum obtinuit subinde forma nominis Αἴγειvα. Ita Myrinaei Aeolidis in omnibus autonomis et imperialibus ad M. Aurelium usque se Μυϱιναίους professi in numis Iuliae Domnae et Tranquillinae nomine ΜΥΡΕΙΝΑΙΩΝ appellantur t). Cui consuetudini subvenisse possunt Romani ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΝ, ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ ambiguo quodam vocalis sono pronunciantes u): apud Graecos vero ea licentia haudquaquam erat in promiscuo v), sed certo tempore, certis normis circumscripta w). Inter quas etiam Aeginae nomen fuisse, tum Hesychius et Nonnus (Dion. VII, p. 208.), tum inscriptio Hadrianea infra memoranda, tum numi probant hi x):

---

p) Pellerin. Rec. T. III, p. 26. pl. 89. n. 1. Cat. Bentinck. l. c. Mus. SanClement. I, p. 132. t. 6. n. 4. Mionnet. T. II, p. 144. n. 37.

q) V. Eckhel. Cat. I, p. 126. Rasch. I, II, 1134.

r) Sestini Lettere VI, 31.

s) Sest. Descr. N. V. p. 179. R. S. n. 7.

t) V. Eckhel. Cat. I, p. 165. D. N. II, 496. Rasche Lex. T. III, 1. p. 1007. sq.

u) V. Rasche I, 1, 882. II, 1, p. 540. 913. III, 1, 66. 190. e. a. l. Cf. Quinctil. Inst. I, 7.

v) Ut Salmasius ad Inscr. Herod. Att. p. 16. sqq. Oderic. Dissert. p. 38. putaverunt.

w) Neque tamen iis, quas Scaliger ad Euseb. p. 114. et Paciaud. Mon. Pelop. II, p. 134. posuerunt. Insignes maxime terminationes gentilium in *ιτης*, locorum in *ια*, in nominibus ipsis *νίκη* et *τιμή*. Exempla in numis et marmoribus innumera sunt, neque ulla laudo.

x) Quem usum impugnat Etymologus, haud raro formae genuinae vindex. Scribe: *Αἴγινα ὄνομα πόλεως· τὸ γὰρ ι ἰῶτα· τὰ διὰ τοῦ ινα διὰ τοῦ ι γράφεται· χῶρις τοῦ πεῖνα, οἷον τέρεινα, τὸ ἁπαλόν. Βέμβινα, Καμάρινα, Βέλβινα* (de qua voce corrupta Intpp. ad Hesych. Fac. ad Paus. III, 21. Schweigh. Pol. V, 462.) *ὀνόματα πόλεων. Ἄρπινα, ὄνομα ἵππου* (Sch. Apoll. Rh. I, v. 752.) *ὅπερ τινὲς διά δύο ν* (cf. Venet. a. 1710.) *γράφουσιν.*

A. CЄПΤΙ CЄΒΗ ΠΕΡΤΙ. *Cpt. laureatum*)-(ΑΙΓΕΙΝΗΤΩΝ CΑΛ. *Duae mulieres s. genii.* AE. I. y). In quo omnia Salaminis et Aeginae societatem produnt. Itidem Septimii Severi hic est: ΑΙΓΕΙΝΗΤΩΝ. *Mulier columnae innixa d. digitum ad os, s. cornucopiae.* AE. III. z) Et hic: CЄΟΗΡΟC. *Prot. loricata, cpt. laureatum*)-(ΑΙΓΙΝΗΤΩΝ. *Vir nudus humeris arietem portans.* AE. II. a)

ΦΟΥΛ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ. *Cpt. Plaut.*)-(ΑΙΓΕΙΝΗΤΩΝ *Neptunus d. delphinum, s. tridentem tenens* AE. II. b) In aliis Plautillae *victoria gradiens c. palma et corona, mulier sedens s. hastam tenens,* denique *vir ille nudus utroque humero arietem portans,* κριοφόρος haud dubie Ἑρμῆς, conspiciuntur c).

Sub tempora Elagabali nomen Αἰγεινιτῶν in usum venit et inde in Lexicographos etiam transiit d).

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CЄΒ. *Cpt. imperatoris iuvenis laureatum.*)-(ΑΙΓΕΙΝΙΤΩΝ. *Iupiter nudus cum fulmine et aquila.* AE. III. e)

Hi igitur numi omnes sunt, quos crisis Eckheliana etiam minus difficilis Aeginetis tribuere poterat. Quid vero? ex tanta monetae argenteae copia vixne unum alterumve, nullum autem antiquioris temporis fato supersti-

---

y) Sestini Lett. V, 49. R. S. I, 230, 9.

z) Mus. Arigon. Imp. Gr. I, 7. f. 94. Eckhel p. 225.

a) Mus. Hedervarii T. I, p. 149. n. 3788.

b) Pellerin. III, t. 131. f. 6. p. 223. Sestini Descr. N. V. p. 180. Mionnet n. 39. R. S. n. 10.

c) Theupoli 990. 91. Eckh. p. 226. R. L. p. 231. Suppl. n. 11. Cf. Paus. IX, 22. Winckelmann. Monum. I, 31. De Plautillae numo *ΑΙΓΑΙΝΕΙΤΩΝ* ap. Theupoli 991. Eckhel. iure dubitat. Numus *ΑΙΓΑΙΑΤΩΝ*, e Wise Catal. N. Bodl. t. 14. f. p. 72, Sestini Lett. V, p. 21. inter Aegineticos repositus, Raschii (Suppl. n. 15.) grave sphalma est.

d) Steph. s. v. *Βέλβινα·* τὸ ἐθνικὸν *Βελβινίτης* ὡς *Αἰγινίτης*, ubi male Berkelius p. 214. *Βελβινήτης* (nam *Βελβινίτης* etiam in Stobaeo serm. 38. contra Meurs. Misc. Lacon. IV, 5. restituendum, et in Herodoto VIII, 125. contra Valckenarium defendendum est: et similiter ap. Steph. s. v. *Βέμβινα* legendum esse, adiectum *Σταγειρίτης* probat). Eandem formam: *Αἰγινίτης* defendo in Eusebii Chron. I, p. 43 et Syncello p. 257. e. contra Heynium N. Commtr. Soc. Gott. II, p. 69, et in Zonarae Lex. contra Tittmannum. Cf. Etym. M. s. v. *Γάργαρος*.

e) Gusseme I, 35. cf. Vaillant. Gr. 26. Mionnet n. 38. Rasche p. 231. Est Elagabali. De numo ap. Holsten. N. p. 41. dubito.

tem esse? Magna quidem superest copia, in quovis fere numophylacio, numorum *testudine* alte exstanti litterisque vel nullis, vel his AIΓI, AIΓ, AI, ex aversa autem parte *quadrato cavo et informi, plerumque quinquepartito* signatorum. Sed hos numismatici doctissimi iam dudum Aegiensibus tribuerunt, quo et respexisse putant Flamininum, Achaeis suadentem ne testudinum instar caput Peloponneso exsererent [f]). Verumtamen χελῶναι Polluce et Hesychio teste omnino numismatis Peloponnesiaci signum erant: numisma autem Peloponnesiorum Aegineticum est: atque testudines illae *in summa elegantia*, ut Barthelemyus et Eckhelius confitentur, *operis tamen sunt pervetusti*; et sapiunt certe etiam cava illa incusa remotiorem antiquitatem [g]), quam quae Aegiensium numis tribui posset. Nec foederis Achaici auctoritate numos eos signatos esse, cum nusquam ΑΧΑΙΩΝ nomen compareat, quod saltem in monogrammate ceteris omnibus adest [h]), credendum est: neque Aegiensium, cum numorum qui supersunt multitudo et fabrica civitatem arguant mercatura florentissimam. Neque in moneta Aegiensi usquam testudo, neque in numis his testudinatis ullum occurrit insigne, quod Aegiensibus vel Achaeis peculiare fuerit. Testudinem autem marinam et terrestrem, quam in his numis distinguunt numismatici, vereor ut recte distinguant. Subvenit delphinus, etiam geminus, qui in plerisque conspicitur, profecto Aeginetis aeque congruens ac Aegiensibus; subveniunt numi huiuscemodi:

Testudo AIΓIN)-(ΝΑΞΟΣ (sc. ΝΑΞΟΣ) *Caput Bacchi diademate hederaceo redimitum* [i]). In quo foedus Aeginetarum et Naxiorum, civitatum mercatura coniunctarum [k]), utriusque insulae nomine et typo manifeste proditur [l]);

huiuscemodi, pergo, quem Eckhelius [m]) telum in sese ipse porrigit:

AI. *Testudo*)-(*Area illa quinquepartita*. IN. Quid illud AI in adversa, IN in aversa, nisi AI — ΓIN? Nam litte-

f) V. Barthelem. Act. A, I. T. XXIV, p. 46. Eckh. p. 229.

g) V. Eckh I, c. 12. p. 64. II, 220, max. Barthelem. Act. Ac. Inscr. p. 36. In numis nostris quinquepartita dicuntur, sed iniuria. Sunt enim quadrifariam divisa: sed tres partes litterae *AIΓI* et delphinus occupant, quarta ne vacua cesset, transversâ lineâ dirimitur.

h) Eckh. p. 230, 234. sq.

i) Gussem. Pop. 5, 33, 228. e Thes. Ant. Graec. T. VI, t. 5. f. 2.

k) V. Callim. l. infra c. V, §. 4. citando.

l) Cf. Eckh. p. 332.

m) Numi Anecd. I, p. 118.

ram Γ vetustate detritam excidisse, ipsa numi delineatio (Tb. VIII, n. 8.) lucidissime commonstrat.

Haud veror igitur, ne fallar, si omnes istos numos iniuste Aegiensibus additos, Aeginetis vindicans, maxime anepigraphos ipso bello Peloponnesiaco dicam antiquiores. Quo factum ut drachmae pondus, quod, cum Attica granorum sit sexaginta sex, centum et decem grana aequare necesse fuerat, ad nonaginta fere usque plerumque detritum sit: neque tamen ex pondere, drachmas esse Aegineticas colligi poterat, cum eodem etiam Achaeos usos esse censuerimus [n]).

Winckelmannum [o]) dum scribit: *Iudicent, qui numos Aeginaeos viderunt, an ex capite Palladis, quod alteri, alteri Neptuni tridens inscriptum est, artis disciplina cognosci possit,* Pausaniam (II, 30.) ea de Troezeniorum numis affirmantem male intellexisse, sat alii monuere: possitne tamen in arietis capite, maxime in testudinis scutellis satis concinne elaboratis, fabrica Aeginaea deprehendi, id autoptis diiudicandum relinquimus.

§. 4. De arte Aeginetica.

Iam igitur a mercaturis trahimur ad artem Aeginetarum [p]).

Origines statuariae sculptoriaeque Graecorum artis involvunt religiones mysticae, Telchinum, Dactylorum, Curetum: neque eae sacris servire desierant, etiam cum palam progressae essent. Species quaedam efflagitabatur augusta, tum in pedali altitudine, tum ingente proceritate, insolens plerumque et mira, ita ut haud raro signa sanctissima, ut Iuno Argiva et Deliorum Latona, risum excitaverint [q]); eadem artis aestumatione, quae e Bacchicis et Cerea-

n) V. hos numos ap. Wise Catal. N. Bodl. t. 3. f. 2. p. 5, 125, 225. 339. Hunter. p. 12. Beger. 447. Pellerin. 112. Mionnet. 2—36. t. 42. V. P. et R. Numi Mus. Brit. (Lond. 1814.) p. 135. Barthelem. Act. Ac. Inscr. T. XXIV, tb. ad p. 48. cf. XLVII, 145. Mus. Hedervarii T. I, p. 15. tb. 15, 343. Et cf. Pinkerton *Essay on Medals* I, p. 80.

o) Hist. Artis Opp. VI, 1. p. 14. ed. Dresd.

p) Respicit ad eam Pindari Nemeon Carminis V. exordium: *οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμ'.* De ea primus Winckelmannus (IX. c. 1. §. 15. Opp. Dresd. T. VI, 1. p. 13. sq.) historice exactius Heyne de epoch. art. (Opp. Acc. V, 342. sqq. VI, p. 467), his annis Quatremère-de-Quincy (Iupiter Olympien I, §. 5.), Thierschius *de epochis plasticees* (28. Mart. 1816.) denique Wagnerus et Schellingius *de signis in Aegina repertis.*

q) Acusilaus ap. Apollod. II, 2, 2. cf. Heyne Obss. 111. Athen. XIV, 614.

Cerealibus tragoediam ipsamque comoediam protulerat. Enimvero venusti etiam in his ab origine nihil erat. Itaque ab iis, quibus interior numinis tribuebatur cognitio, a viris sacris, artem priscam proficisci necesse erat. Cuiusmodi artifices primi erant Daedalidae et qui dicitur Smilis.

Smilis, filius Euclidae, quem ars Aeginetica principem habet sibi peculiarem, et aequalem ut traditur Daedalo, plurium ξοάνων sanctissimorum auctor ferebatur. Hunc esse, scribit Pausanias (VII, 4, 5), signi Iunonis Samiae opificem [r]), eiusdem puta, cuius sanctitatem mirifica illa Samiorum fabula celebrat, cuius supra mentionem iniecimus [s]). Neque vero Samiae solum, sed ipsius Argivorum Iunonis ξόανον fama quaedam Smilidi attribuerat [t]). Nec temere. Iunonium enim tertium quoque opus Smilidis est: Horas illas dico sedentes, in Heraeo Olympiaco [u]). Ac verisimile, inter Iunonem Argivam, nam eadem Aeginae colebatur [v]), et Smilides similem intercessisse coniunctionem atque inter Daedalum Erechthidam et Minervam, quam Attica disciplina ad artium patronam evexit. Sic Daedalus artem traditur accepisse a Minerva [w]): sic Daedalidae, gens Ergadensium, Minervam *Erganen* colnerunt: quippe quae sacra, Athenis et Samiis vetera et peculiaria, postea a Phaedryntis obibantur, Phidiae posteris [x]). Sed eam ex sanctitate existimationem atque in forma prisca, quam hominum pietas sanxit, perseverantiam arti Aegineticae semper fuisse singularem, Onatae signum Phigaleense mani-

---

r) Cf. Clem. Alex. Protr. p. 13, 51. Sylb. Scrib. fort. *τὸ δὲ ἐν Σάμῳ τῆς Ἥρας ξόανον Σμίλῃ τῷ Σμίλιδος τοῦ Εὐκλείδου πεποιῆσθαι, Ὀλύμπιχος ἐν Σαμιακοῖς ἱστορεῖ.* Cff. Heyne Opuscc. Acc. T. V, p. 344. Thiersch. in notis p. 7.

s) V. II, §. 5. p. 71.

t) Athenag. in deprec. 14, 5. Fuisse videtur alterum ex iis, quae Pausanias vidit; illud vero, quod *Τίρυνθα ἀνελόντες Ἀργεῖοι κομίζουσιν ἐς τὸ Ἡραῖον*, post Persica demum Argos delatum esse potest (v. p. 48): aliud igitur illud vetustissimum, quod Proetides Argis deriserant. Non satis diligenter Heyne ad Apoll. l. l. Opusc. Ac. p. 363, Thiersch. l. l.

u) Paus. V, 17, 1. Coniecturam Valckenarii Diatr. p. 215. *Σμῖλις* pro *Ἔμιλος* emendantis, Pausaniae ipsius verbis (VII, 4, 5.): *ὁ Σμ. ὅτι μὴ παρὰ Σαμίους καὶ ἐς τὴν Ἠλείαν παρ᾽ ἄλλους γε οὐδένας φανερός ἐστιν ἀποδημήσας*, manifestissime comprobari vidit Thiersch. p. 24. n.

v) Sic etiam apud Argivos et Aeginetas *Iuno Moneta* fuisse videtur. v. p. 57.

w) Hygin. fb. 39.

x) Paus. I, 24, 3. V, 14, 5. Suid. s. v. Ergane, opificii muliebris praeses, serioris est temporis.

feste comprobat. Phigaleensibus fuerat Cereris Pelasgiae ξόανον antiquissimum. Quo vetustate sua deleto, cum illi sacra negligerent, fame et oraculo, ut signum restituerent, admonentur. Quod cum primum compererant, tum Cererem sacris religiosius quam antea colunt, tum Ὀνατᾶν τὸν Μίκωνος Αἰγινήτην πείθουσιν ἐφ' ὅτῳ δὴ μισθῷ ποιῆσαί σφισιν ἄγαλμα Δήμητρος. Tunc Onatas, omnium artificum Aeginaeorum et florentissimo quidem tempore princeps, ut Pausanias scribit (VIII, 42, 4. sq.), *vel priscam aliquam effigiem vel ligneum aliquod sigillum nactus, maiori autem ex parte somniorum imaginibus edoctus*, ad prisci illius signi similitudinem Phigaleensibus aeneam fudit statuam. Quo numen placatum est. Tametsi Pausaniae tempore de simulacro praeter famam nihil, nisi in culmine templi vestigia, unde saxa corruerant, detegi poterat.

Sed revertimur ad Iunonem Samiam. Iam enim in aetatem Smilidis illius inquirentibus obvius est locus quanquam sublestae fidei, tamen ubi unicus est exoptatissimus. Est Clementis Alexandrini: καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας, ὥς φησιν Ἀέθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς, ὕστερον δὲ ἐπὶ Προκλέους ἄρχοντος ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο y). *Ergo tum vixisse Smilidem*, hinc colligit Thierschius (p. 23. n.), *cum Samus ab Archontibus regeretur, id est liberarum rerum publicarum tempore.* Samum equidem scio primum sub regibus, tum in ditione optimatum qui Geomori dicebantur, neque raro tyrannorum fuisse z); ab Archontibus unquam gubernatam esse, nescio. Neque credibile est. Quo igitur Procle Archonte? Num Archonte Attico, ignorato quodam? Ita quidem Meursius et Dodwellus. *Rege* arbitror *Procle*, et illo quidem, qui Ionum migrationis tempore Epidauro a Deiphonta eiectus in Samum tum a Care et Lelege habitatam concessit et insulae regno potitus est a). Quid magis consentaneum, quam Smilides ex Aegina Proclem Epidaurium secutos, primos asserem a Lelegibus adoratum in formam humanam immutasse? praesertim si Smilidi eam mutationem ipse tribuit Callimachus b). Quibus nescio an magnopere adversentur Samii, simulacri Iunonis vetustatem ad Admetae, Eurysthei filiae, tempora referentes.

---

y) Protrept. p. 13, 43. cf. Pott. p. 40.

z) Cf. Paus. VII, 4. Plut. Qu. Gr. p. 303. Thuc. VIII, 21.

a) V. p. 40. 67. praecipue Corsin. F. A. I, p. 323.

b) Ap. Euseb. Praep. Ev. III. 8. (Blomfield p. 228. n. CV.) *Οὔπω Σμίλιον* (ita Wesselingius, Ernestius, Valckenarius; *Κέλμιον* Kuhnius et Corsinus; *Σκέλμιον* vg.) *ἔργον ἐΰξοον, ἀλλ' ἐπὶ τεθμοῦ Δηναίου γλυφάνων ἄξοος ἦσθα σανίς κ. τ. λ.* quod haud magis ipsius Callimachi, quam Bentleii debetur ingenio.

Quodsi Aeginetica artis disciplina tempore Doriensium in Epidaurum et Aeginam invasionis iam floret, nam Triaco ab eodem Deiphonta, qui Proclem expulit, in Aeginam mittitur: eam ab origine omnino non Doriensem esse apparet. Revocamur igitur ad Achaeos, quorum in Aegina coloniam industriâ suâ in fabulis celebrem nomine Aeaci comprehendi vidimus, Aeaci eius cuius pronepotem fabula Epeum dicit. Nam Epeus Panopei filius appellatur, Panopeus autem Phoci [c]). Quae genealogia memorabilia profecto artis Aegineticae vestigia celat. Etenim Epeus, quem Plato cum ipso Daedalo Theodoroque Samio componit [d]), non solum equi durii, sed etiam ξοάνων nonnullorum, ut Mercurii illius apud Argivos, auctor ferebatur [e]). Atqui δούρεια et σμίλια ἔργα [f]) huic artis Aeginetarum infantiae imprimis propria sunt. — Non tamen Aeginam unquam incoluit colonia Phoenicum, neque unquam artificem Aeginaeum in Aegyptum abiisse comperimus. — Samios autem ut omnino cum Peloponnesiis inter Iones coniunctissimos fuisse supra monuimus: ita etiam artificibus Samiis cum Sicyonia Aegineticaque disciplina singularis intercessit necessitudo [g]). Quo ducimur ad locum Plinii (XXXVI, 13. s. 19): *Labyrinthum Lemnium architecti fecerunt Zmilus, et Rholus, et Theodorus.* Ubi si Heynio (1. l. p. 342) *Smilis et Rhoecus* emendanti assensum non cohibemus, neque cohiberi potest [h]): cum Rhoecum et Theodo-

---

c) I, 6, p. 23.

d) Ione p. 178, 12. Bekk. cf. Republica X, 513, 20.

e) Od. Θ, 493. Paus. II, 29, 4.

f) De σμίλη, scalpro, dicti Σμιλίδες: indidem σμῖλος, σμῖλαξ, taxus, quam inter antiquissimas ξοάνων materias recenset Paus. VIII, 17, 1. Cf. Salmas. Exc. Plin. p. 1041.

g) V. Boettigeri Id. ad Archaeol. Picturae p. 111. Hinc apparet, ex artificum Samiorum artificio de Daedalidarum Atticorumve fabrica nihil nisi caute colligi posse: non magis quam ex Arrhachionis simulacro: cuius fabricam singularem singulari casui tribuendam non esse, vix Thierschius cuiquam persuadebit. Diodorum inficete atque systematice αἰγυπτιάζειν, omnes sciunt, secus atque Herodotum, cui numinum tantum et institutorum quorundam mira similitudo imposuerat.

h) V. Thiersch. p. 23. At, quod uterque omisit, hic Theodorus eodem loco Lemni *indigena* appellatur. Sed est tamen noster. Ita enim idem Plinius XXXIV, 19, 22: *Theodorus, qui labyrinthum fecit, Sami ipse se ex aere fudit.* Sic interpungo. Nam in Samo nullus labyrinthus. At haec Theodori statua *praeter similitudinem mirabilem famâ magnae subtilitatis celebratur.* Tantamne fuisse artem vetusti Theodori? Quis credet. V. max. Paus. X, 38, 3. Ergo Plinio fucus factus est: et scriptor negligentissimus bis in hisce erravit. Cf. 35, 40, 42 et 43.

tum, statuarios Samios, post Olympiadum initium vixisse constet, iam alius nobis repertus est Smilis, argumento, Smilidum Aeginetarum disciplinam etiam tum, cum Dorienses insulam tenerent, florere haud desiisse. Ut vero Daedalo Smilis, ita sibi opponuntur artifices Attici et Aeginetici. Inter Daedalidas fere nemo est, cui non artis aliqua mutatio, aliquod inventum tribueretur: Smilis nonnisi unus memoratur, id est, idem disciplinae character. Quippe exceperant artis primordia ab Achaeis Dorienses, is populus, qui musicae aequabilem moderationem, incomptam in quavis arte simplicitatem, in sacrorum sumptu tenuem parsimoniam, formae vetustae religionem et constantiam in omni vita summi aestumabat [i]. Vidit etiam Pausanias per Graeciam signa quaedam *Αἰγινητικὰ* dicta, quae ex Hesychio iunctos habuisse pedes docebimur. Priscum morem, a quo Attica mobilitas, dum statuas ire docet, prima descivit, diutius tenuisse videntur Aeginetae. Observandum tamen, et haec Aeginetica Aegyptiis signis a Pausania haudquaquam habita esse similia [k]).

Attamen, talem cascae speciei reverentiam, cum ars Aeginetarum floreret, in deorum quidem simulacris, nec tamen in athletarum, neque in regum, neque in heroum signis requisitam esse, id mihi puto a quovis concessum iri. Nam victorum formam nulla pietas sanxit, hanc sibi servavit statuaria, ex qua progressuum liberiorum incrementa caperet. Sed in his non moror. Omnino tamen duram quandam et rigidam operum vetustorum fabricam ab Aeginetis continuo observatam esse, e verbis Quinctiliani de Callone elucescit. Phidiae aetate minor erat Aegineta *Callo*, tripodum illorum, qui post Lysandri ad Aegospotamon victoriam Apollini Amyclaeo dedicati sunt, cum Gitiada Spartano artifex [l]). — Nam nescio, cur, qui in Callonis aetate definienda operam collocaverunt, hunc lo-

---

i) Item apud Graecos, qui nunc audiunt, a pictoribus certae heroum Sanctorum, ut Demetrii et Georgii, formae anxie observantur. Omnium imaginum, quae tabulam explent, idem semper numerus, eadem figura et facies. Inest nihilosecius amabilis quaedam simplicitas et nativa iucunditas. Ukert. Graeciae descr. p. 237.

k) I, 42, 5 de Apollinum Megarensium signis: *ὁ μὲν δὴ Πύθιος καλούμενος καὶ ὁ Δεκατηφόρος τοῖς Αἰγυπτίοις μάλιστα ἐοίκασι ξοάνοις. ὃν δὲ Ἀρχηγέτην ἐπονομάζουσιν, Αἰγινητικοῖς ἔργοις ἐστὶν ὅμοιος.* et VII, 5, 3. de Hercule Erythraeo: *τὸ δὲ ἄγαλμα οὔτε τοῖς καλουμένοις Αἰγιναίοις οὔτε τῶν Ἀττικῶν τοῖς ἀρχαιοτάτοις ἐμφερές, εἰ δέ τι καὶ ἄλλο, ἀκριβῶς ἐστὶν Αἰγύπτιον.*

l) Ol. XCII. 4. Plinius eum Ol. LXXXVII apponit. XIV, 8, 19. Recte. Idem fortasse Clementis Protr. p. 14, 1. Sylb. *Κάλως.* Alius est Eleus. Cf. Heyne Add. ad Hist. Art. p. 242. Opp. Ac. V, 364. Quae Siebel. Archaeol. p. 226. erroribus scatent.

tum aspernati sint m): ex quo tamen solo aliquid sani elici poterit, modo negligens et peregrinatorium Pausaniae dicendi genus observaveris. Ita ille III, 18, 5: *Amyclis prope statuam Aeneti quinquertionis tripodes sunt aenei: (vetustiores vero decem e bello Messeniaco esse fama est:) primus igitur eorum tripodum et alter Gitiadae opera sunt, tertius autem, quem Proserpinae signum fulcit, Callonis Aeginetae. Praestant vero hi tripodes ceteris magnitudine, et de victoria ad Aegospotamon dedicati sunt* n). Nonne his maior fides debetur, quam alteri Pausaniae loco Callonem Tectaei et Angelionis discipulum dicentis? II, 32, 4. Ita quidem secundo gradu a Dipoeno et Scyllide, tertio, adiice, ab ipso Daedalo descenderet: at ea temporum designandorum ratione in historia artis nihil inventum est futilius et nocentius. Quare arripiendum profecto quicquid melioris notae offertur. Si vero Quinctilianus loco modo laudando Callonem Calamidi anteponit: recte quidem inde Callonem vetustiore arte usum esse quam Calamidem, priorem autem fuisse aetate, male extricatur. Non credo de eius tempore hominem Romanum, quanquam opera eius vidisse putandus est, plura comperta habuisse, quam nos: quippe qui ne Parrhasii quidem aetatem aliunde definire ausus est, nisi ex eius cum Socrate apud Xenophontem sermone. Contra neque ego Patrensibus ap. Pausan. VII, 18, 6: *Menaechmum et Soïdam Naupactios* coniectantibus *Canacho Sicyonio et Aegineta Callone haud multum recentiores fuisse*, tantillum tribuerem, etiamsi de Canachi aetate magis constaret, quam sine exacta disquisitione potest: quae certe, reiectis ceteris omnibus, solis ducum proelii ad Aegospotamon statuis, a Patrocle et Canacho factis (Paus. X, 9, 4.) insisteret.

De hoc igitur Callone Pausanias (II, 32, 4.): *in arce Corinthiaca delubrum esse Minervae Stheniados, ipsum autem deae simulacrum ligneum fecisse Callonem Aeginetam.* Idem autem Callo haud dubie est, de quo Quinctilianus (Inst. XII, 10, 7.): *duriora et Tuscanicis proxima Callon atque*

---

m) V. Heyne Dissertt. Antiquar. I, p. 83. Facius ad Paus. l. Schelling p. 167.

n) Scio equidem, his obloqui Pausaniam IV, 14, 2. Sed ibi omnia verba, ab *Ἀφροδίτης* usque ad *ἐνταῦθα* emblema sunt e loco nostro male intellecto ad verbum descriptum. Quis enim credet, post primum bellum Messeniacum tripodes aereos fabricae tam artificiosae fingi potuisse, cum ipse Learchus Dipoeni et Scyllidis discipulus dicatur? quis Gitiadam Spartanum pro antiquis imo omnium artificum habebit? qui aeneas templi Minervae Chalcioeci parietes artificiis suis exornavit, inter quae Minervae natales et Amphitrite et Neptunus *μέγιστα καὶ κάλλιστα καὶ μάλιστα ἦν θέας ἄξια*, Paus. III, 17, 3. ut scribendum videtur.

Egesias, quorum artem cum oratione Laelii, Africani, Gracchorum comparat, *iam minus rigida Calamis, molliora adhuc supra dictis Myron fecit* o). Quis Egesias ille fuerit, nescimus; potest Aegineta fuisse: nam horum memoria omnium maxime obsoleverat. Nomen certe salvum est: quanquam Broukhusius pro eo *Hegiam* proposuit, et Buttmannus de eius Hegesiae, qui apud Plinium (H. N. XXXIV, 8, 19.) Castorum ante aedem Tonantis artifex laudatur, precaria conditione monuit. Sed tuetur illum Lucianus (de rhet. praec. c. 9. T. III, p. 9.) τὰ τῆς παλαιᾶς ἐργασίας ἐστὶν Ἡγησίου καὶ τῶν ἀμφὶ Κριτίαν τὸν νησιώτην p) ἀπεσφιγμένα καὶ νευρώδη καὶ σκληρὰ καὶ ἀκριβῶς ἀποτεταμένα ταῖς γραμμαῖς. Qui locus Aeginaeam disciplinam spectat. Nam Critias νησιώτης dictus, quo distingueretur ab Attico aequali et cognomine, quem Pausanias τὸν Ἀττικὸν Κριτίαν dicit (VI, 3, 2.), vix dubium, quin Aegineta fuerit. — Quibus iam hic adde locum Pausaniae X, 17. 6. ubi de Corsica: οἱ δὲ ἄγριοι τράγοι μέγεθος μὲν τοὺς ἑτέρωθι οὐχ ὑπερβάλλουσιν, εἶδος δέ ἐστιν αὐτοῖς, ὁποῖον ἐν πλαστικῇ τις ἂν τῇ Αἰγιναίᾳ ποιήσει ἀγρίου κριοῦ. τὰ μέν τοι ἀμφὶ τὸ στῆθος δασύτερά ἐστιν αὐτοῖς ἢ ὡς πρὸς Αἰγιναίαν τέχνην εἰκάσαι· κέρατα δὲ οὐ διεστηκότα ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, ἀλλ' ἐς εὐθὺ παρὰ τὰ ὦτα ἔχουσιν ἑληλιγμένα. Apparet Aeginetas arietem, civitatis ipsorum insigne, tam macilentum et gracilem finxisse ut hircum referret, pilosumque magis neque abunde quam villosum, et cornibus non reflexis sed a capite distantibus. Cui corporis siccitati pilorumque compositioni imprimis est insistendum.

Interea statuas ex aere conflandi ars ab artificibus Samiis culta Rhoecique et Theodori e disciplina Sicyonem, officinarum omnium metallorum diu patriam, hinc autem in Aeginam tralata erat. Sicyonii enim, ut a Daedalidarum, Atticorum maxime, commercio alieniores (ipsos enim Dipoenum et Scyllidem, marmorarios Cretenses, invidia Sicyoniorum urbe exegit), ita cum Samiis et Aeginetis erant iunctissimi. Nam Callo artem a Tectaeo et Angelione excepisse traditur (quot gradibus nescio), qui ipsi Sicyonii fuisse et cum Dipoeno et Scyllide tum versati esse videntur, cum ii Sicyone habitarent q); Synnoon Aegineta Aristo-

o) Cf. Cicero Bruto 18, 70. Posuit Quinctilianus loco Canachi Callonem et Hegesiam. Nimirum quia horum opera illis etiam duriora videbantur. Mirifica est argumentatio Schellingii p. 162.

p) Ita scribendum. cf. Φιλοψ. c. 18. p. 46. Iunius Catal. p. 57.

q) Plin. 36, 4, 1. Nexum inter Aegineticam et Atticam artis disciplinam, quem Schellingius p. 20. ex his deduxit, non assequor: praesertim cum ne id quidem, Dipoenum et Scyllidem Atticos fuisse artifices, perspectum habeam. Etsi enim Daedalus Cretae ab Atheniensi in fabulis non secernitur, Daedalidae tamen Cretenses et Attici exacte distinguendi erunt, nemo licet adhuc distinxisset.

clis Sicyonii, qui Canachi frater erat, discipulus dicitur [r]. Hinc ars statuaria praecipuam sui sedem fixit Aeginae, duobus adiuta subsidiis, altero figlinorum opificio, apud Samios et Corinthios haud magis florente quam apud Aeginetas [s]; plastice autem statuariae mater est; altero aeris temperandi singulari peritia. Itaque ars Aeginetica ex illis scalpri Smiliaci incrementis multum fortasse praeda Plataeensi evecta Themistoclis et Periclis temporibus ad summam dignitatem effertur: atque, cum fata Aeginae casum maturarent, duabus tantum aetatibus, illa priscae et durioris, sublimioris hac et magnificae artis, florens nunquam ad molliora inclinare ac deflecti poterat. Quae quo exactius definiantur, et artificum et operum eorum recensum agi necesse erit.

Statuarium inter Aeginetas antiquiorem non reperio Glaucia. Nemo tamen athletarum statuis insignior. Posuit Theagenis, pancratiastae illius a Thasiis divine culti, in Alti statuam [t]. Item Philonem, Glauci Corcyraei filium [u]. Fecit et Glaucum Carystium, luctatorem cuius honor etiam Demosthenis aevo vigebat [v]. Σκιαμαχοῦντος δὲ ὁ ἀνδριὰς παρέχεται σχῆμα, ὅτι ὁ Γλαῦκος ἦν ἐπιτηδειότατος τῶν κατ' αὐτὸν χειρονομῆσαι πεφυκώς. Eiusdem opus Gelonis erat signum et currus, Olympiade LXXIII victoris, postea Syracusanorum tyranni: quamvis studiose hisce obloquatur Pausanias [w].

r) Paus. VI, 9, 1.

s) v. p. 80. De artis argillaceae antiquo honore Paciaud. Monum. Pelop. II, p. 38. 43. Millin. Miner. Homer. c. 11. Phialam eximiae pulchritudinis in Panhellenio repertam describit Wagnerus p. 80; urnae sepulcrales Aegineticae memorantur inter Elginiana. V. Memorandum de his p. 30.

t) Paus. VI, 11, 3. Winckelm. p. 11.

u) In quem Simonidis Leoprepis f. epigramma servavit Pausanias VI, 9, 3. ap. Brunck. Anal. I, p. 140. n. 72.

v) V. de eo Demosth. de cor. p. 331. R. Suid. s. v. Ap. Paus. XI, 10, 1. scr. ὦ παῖ παῖε τὴν ἀπ' ἀρότρου. Poetae nescio cuius (inter Pindarica est ap. Schneider. p. 4.) de eo fragmentum servat Lucian. de imag. c. 19.

w) Nihil inficetius hoc loco Pausaniae. Errorem eius de tempore regni Gelonis iamdudum detexerunt Dodwell. Ann. Thuc. p. 42. et Corsin. F. A. III, p. 153. Sed nolo his insistere. Qui autem credere poterat, privatum Gelae vixisse, tum suo, tum patris nomine, tum tempore et patria urbe tyranno prorsus aequalem eumque, quod tyrannorum maxime erat, curru victorem. Immo, si Gelo Syracusis natus esset, tamen e more horum tyrannorum, in Gelae honorem Gelous promulgari poterat.

Anaxagoram Aeginetam Pausanias V, 25, 2. Iovis a Graecis post pugnam Plataeensem dedicati artificem nuncupat: alium certe, quam qui a Vitruvio (VII. Praef.) scriptor laudatur de scenarum architectura, quemadmodum ad aciem oculorum struerentur [x]; neque aliunde notum. Immo, qui Plataica scripserant, statuarium hunc silentio praeterierant; documento, quae fuerit apud Graecos artis Aegineticae oblivio.

Simon cum Dionysio Argivo equos et aurigas fecisse scribitur, quos Phormio Maenalius, militiâ apud Gelonem et Hieronem clarus, Olympiae posuerat. Paus. V, 27, 1. Plinio teste *Simon canem et sagittarium fecit.* XXXIV, 19, 23. [y]) Alius autem habendus est Simon Eupalami, artifex Atticus [z]). Clem. Alex. 14, 16. παραθήσομαι τοῦ Μορύχου Διονύσου τὸ ἄγαλμα Ἀθήνησι γεγονέναι μὲν ἐκ τοῦ φελλάτα καλουμένου λίθου, ἔργον δὲ εἶναι Σίμωνος τοῦ Εὐπαλάμου, ὥς φησι Πολέμων ἔν τινι ἐπιστολῇ [a]).

Ptolichus Aegineta, **Synnoontis** patris sui discipulus, statuam fecerat Theogneti Aeginetae inter pueros lucta victoris [b]). Qui si Theognetus Aristomenis, quem Olympiade LXXX Pythia vicisse infra ostendetur, avunculus est (Pind. P. VIII, 37.), et ita arbitror, maxime cum utrobique lucta Olympionices fuisse dicatur: eius statuam post Olymp. LXXVII. positam esse, probabile non est. Opponit quidem Heynius [c]) magistrorum et discipulorum

---

x) Secus Iunius p. 13. Miror, etiam editores Winckelmanni p. 22, not. 64, de his dubitare tantum. Scripsisse de ea re, dicit Vitruvius, Democritum et Anaxagoram monitos ex Agatharcho Athenis scenam struente. Sunt philosophi, crede mihi; est Anaxagoras Clazomenius. Iam intelligitur scriptor VIII, Praef. *Euripides auditor Anaxagorae, quem philosophum Athenienses scenicum appellaverunt,* quod si vulgato sensu accipiendum foret, scripsisset Vitruvius: Anaxagorae auditor Euripides, quem Athenienses scenicum phil. app.

y) Cf. Diog. Laert. ex Antigono, II, 15. Idem II, 123. de Simone.

z) Ipsum Eupalami nomen, quod ab Apollod. III, 15, 8. Daedali patri tribuitur (cff. εὐπάλαμοι Δάκτυλοι in Phoron. ap. Schol. Apoll. Rh. I, 1 29.) Atticae disciplinae proprium fuisse videtur.

a) Ad Diophilum, ut apparet e Zenobio V, 13. qui de Morycho, ἀπὸ ψέλλα καλ. λίθου ὑπὸ Σιμμίου τοῦ Εὐπαλ. corr. φελλάτα, Σίμωνος. Cf. Suid. s. v. Μόρυχος.

b) Paus. VI, 9, 1. ἐφ' ὅτῳ δὲ Θεόγνητος πίτυος τῆς ἡμέρου καὶ ῥοιᾶς φέρει καρπόν, ἐμοὶ μὲν οὐχ οἷά τε ἦν συμβαλέσθαι. τάχα δ' ἂν Αἰγινήταις τισὶν ἐπιχώριος ἐς αὐτὰ εἴη λόγος. Quin potius τὶς ἐν ἐπιχωρίοις κ. τ. λ.

c) V, p. 377.

apud Pausaniam seriem: διδάσκαλοι ἐγεγόνεσαν Πτολίχῳ μὲν Συννόων ὁ πατήρ, ἐκείνῳ δὲ Ἀριστοκλῆς Σικυώνιος, ἀδελφὸς Κανάχου. At id genus computationis acutior historiae artis crisis aliquando stirpitus exturbabit. — Sic Pantias Chius ab eodem Aristocle Sicyonio artem accepisse traditur gradu s e p-timo. Paus. VI, 3, 4. Idem Pantias statuam finxit Aristei, cuius patrem Chimonem posuerat Naucydes. VI, 9, 1. Aristoclis autem frater, Canachus Sicyonius, Polycleti Argivi discipulus est. VI, 13, 4. Iam Pausanias duos novit Polycletos Argivos, alterum celeberrimum Iunonis Argivae artificem eumque Ageladae discipulum, alterum Naucydis discipulum. VI, 6, 1. Illum Canachi magistrum fuisse, certe neque Schellingius, neque docti Winckelmanni commentatores concedent d); quanquam ego velim: sin vero hic erat: sequitur Naucydem a Pantia novem abesse disciplinae gradibus, quanquam aetate tantum non aequalem. Utrobique scilicet magnopere irretitur nostra sculptorum chronologia. Hoc unum exemplum ex innumeris quanto plura in his scire videamur, quam scimus. — Id certe, Theognetum nostrum neque inter bellum Peloponnesiacum, in Aeginetarum exilio, nec post reditum, in afflicto rei publicae statu, Olympia vicisse et ab artifice Aegineta fictum esse, mihi persuasissimum habeo.

Recurrit Ptolichus Aegineta (c. 10, 3.) cum Sarambo artifice; ubi ille Epicradium Mantineensem, hic Agiadam Eleum, utrumque Olympionicen fecit γένος καὶ οὗτος Αἰγινήτης.

Iam venimus ad Onatam Miconis filium e), Aegineticae disciplinae facile principem. Floruit circa Olympiadem octogesimam f). De eius Cerere Phigaleensi supra dictum est g). Ostentabant autem Pergameni puberem

---

d) Hi T. VI, p. 127. n. 420. Quibus tamen plures insunt errores. Ille p. 166.

e) Pictoris Attici, ut Boettigerus Ideis Archaeol. Pict. p. 254, 365. putat. Obstare tamen vidit epigramma, ἐν Αἰγίνῃ τὸν τέκε παῖδα Μίκων. (Sed quantopere errat, hos versiculos ipsius esse Onatae, ne temporis quidem Onatae sunt, quod credere videtur Winckelm. IV, p. 23.) Neque credibile, artificem Atticum sub ea tempora Aeginam se convertisse. Poterat iam aetate provectus, sed Onatas ut Polygnoti ita etiam Miconis aetate haud ita multum inferior est.

f) Aequalis Hegiae et Ageladae (Paus. VIII, 42, 4.) quorum hic a Plinio 34, 8, 9. in Olymp. LXXXVII, ille LXXXIII. ponitur. Sed etiam Phidiae et Polygnoti cum quibus templum Minervae Plataeense condecoraverat.

g) Tempus operis Paus. VIII, 42, 4. designaturus γενεαῖς μάλιστα ὕστερον, scribit, τῆς ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐπιστρατείας τοῦ Μήδου. Quot igitur? Heyne p. 370. interpunctione mederi studet, sed nihil

Onatae ex aere Apollinem, θαῦμα ἐν τοῖς μάλιστα μεγέθους τε ἕνεκα καὶ ἐπὶ τῇ τέχνῃ h). Similis huic colossus Herculis, nam placuit sibi Onatas ut postea Rhodii in colossis, a Thasiis Olympiae dedicatus. (V, 26, 7.) Perraro elaborabat in athletis, quod genus signorum summus quisque cuiusvis disciplinae artifex sprevisse videtur. Tantum in Hieronis donario, quod ille pro victoris equestribus Iovi Olympio voverat, Dinomenes autem post patris mortem persolverat, currum aereum, virumque insistentem fecerat Onatas, celoces cum pueris Calamis, in eo genere omnium longe clarissimus i). Hieronis obitus cum tertio anno Ol. LXXVIII. contigerit k): hinc et ad Calamidis et ad Onatae aetatem certa est conclusio. Eximius erat Onatas in statuis historici mythicique argumenti componendis. Celebratissimum Achaeorum donarium Olympiacum, novem illi heroes de certamine cum Hectore sortem ducentes: decimus adstabat Nestor, galeam quae testulas complectebatur concutiens. Uni Agamemnoni adscriptum erat nomen, ΝΩΝΜΕΜΑΓΑ, nempe Achaeorum in honorem; Ulyssem Nero Romam abduxerat; Idomenei in scuto, cui gallus insigne erat, postea legebatur:

Πολλὰ μὲν ἄλλα σοφοῦ ποιήματα καὶ τόδ' Ὀνατᦶ
ἔργον, ἐν Αἰγίνῃ τὸν τέκε παῖδα Μίκων l).

Nobile item Tarentinorum post victos Peucetios anathema ab Onata, Calyntho socio, elaboratum. Opis Iapygum rex iacebat interemtus; insuper stabant Taras et Phalanthus, Tarentinorum ἀρχηγέται, hic cum delphino; aderant plures equestres pedestresque statuae m). Consimili com-

---

inde efficit. Manifeste ΔΥΣΙΝ, quod etiam per litteras expressum facillime per sequens ΤΣΤ eliminari poterat. Quae ad certitudinem evehit ipsa scriptoris computatio, quanquam futilis.

h) Paus. VIII, 42, 4. Operis celebritas et mira pulcritudo optime noscitur ex epigr. Antip. Sidonii ap. Planud. p. 322. Brunck. II, 14. n. 30. Illustravit Iacobs ad Anthol. VIII, p. 38. Idem ac nostrum opus esse, probant Schol. Cf. Iunius p. 137. Heyne p. 370.

i) Paus. VI, 12, 1. VIII, 42, 4. Inscriptum legebatur Υἱὸς μέν γε Μίκωνος Ὀνατᾶς ἐξετέλεσσεν Νάσῳ ἐν Αἰγίνῃ δώματα ναιετάων. Idem in donario Thasiorum, nisi νάσῳ in αὐτὸς mutato, quod immane quantum praestat ante Facii αὐτὸ. V, 25, 7. Cf. Brunck. Anal. III, 174 n. CXVIII.

k) Sequor Diodorum, quippe Siculum. V. Corsin. F. A. III, p. 170.

l) Paus. V, 26, 5. Adscivit Bonada Carm. ex Antiq. Lapid. T. I, p. 68. Brunk. Anal. III, p. 178. n. CXXXIII.

m) Paus. X, 13, 5. De delphino Tarentinorum Mazochius ad tb. Heracl. I, p. 99. De bellis istis Her. VII, 170. Arist. Pol. V, 111. Diod. XI, 52.

positionis genere Onatas usus est in picturis, unus inter Aeginetas, quem non ξόανα tantum et figlina coloribus tinxisse scimus. Nam pinxerat Argivorum priorem in Thebanos expeditionem, in Plataeensi Minervae Areae templo, plura ut videtur rerum momenta una tabula complexus, quippe in opere veteris picturae. Vultu demisso in dimicatione filiorum cernebatur Euryganea, e vetere fabula Eteoclis et Polynicis mater [n]). Non autem Ἀργείων ἐπὶ Θήβας στρατείαν tabulam hanc appellasset Pausanias, si hoc tantum certamen repraesentatum fuisset.

Mercurium arietem sub ala gestantem, caput galea, corpus tunica et chlamyde amictum, Pheneatarum ex Arcadia donarium, cum Onata fecerat Calliteles, illius filius, vel potius discipulus [o]).

Interponimus hic quosdam temporis incerti. Alter est Theopropus Aegineta apud Paus. X, 9, 2. bovis aerei Corcyraeorum Delphici opifex, alter Aristonous (V, 22, 4.) Iovis a Metapontinis Olympiae dedicati auctor. Philotimus Aegineta, qui Xenombroti Coi donarium finxerat (Paus. VI, 14, 5.), si quod Pausanias innuere videtur Pantiae aequalis est, iam in illam de huius aetate quaestionem implicatur.

Agmen claudat Callo ligneis ipsius simulacris summum Aeginaeae artis gradum initiis annectens: quem, si unum ex tripodibus Amyclaeis fecit, iam inter Aeginetas patria exules fuisse necesse est [p]).

Quae artificum enumeratio quid doceat, quivis perspicit. Omnes enim disciplinae Aegineticae, praeter Smilides et Epeos, et sculptores et statuarios, quorum nomina ad nos venerunt, tempus inter Persicum Peloponnesiacumque bellum complectitur: restituti autem in patriam Aeginetae, ut pristino potentiae ingeniique honore funditus eversi erant, ita artem quoque veterem dedidicisse manifesti sunt.

---

n) Paus. IX, 4, 1. 5, 5. Cf. Boettiger, l. l. p. 118, 365. Num Lysippus ap. Plin. XXXV, 11, 39. II, p. 705. Hrd. *Aeginae* pinxit? an *Aeginam* heroinam?

o) Paus. V, 27, 5. cf. VIII, 14, 7.

p) *Iphionis* Aeginetae nomen Winckelmannus ipse delevit. V. Intpp. ipsius p. 21. Apud Plinium XXXV, 11, 40, n. 41. *Erigonus tritor colorum Nealcae pictoris in tantum ipse profecit, ut celebrem etiam discipulum reliquerit Pasiam, fratrem Aeginetae fictoris*, iidem editores nomen fictoris librarii errore omissum suspicantur. Tum vero dixisset: Pasiam Aeginetam, fratrem — fictoris. Neque Arati tempore Aegina habet fictores. Est igitur Aegineta nomen viro proprium. V. p. 74. r. Aliter Schelling. p. 242.

Quod qui factum sit, infra dicetur. At hac artificum dispersione primum ars e disciplinarum angustiis processisse et per universam Graeciam disseminata esse videtur. Ex altera parte, cum ex omnibus, quorum memoria superstes est, Aeginetarum operibus nullum fuerit marmoreum, nullum auro et ebore politum, omnia contra ligno et aere puro confecta: hinc utique de arte Aeginetica nonnihil colligi posse videtur. Marmoraria enim ars, quippe quae in Homero ne verbo quidem commemorata origines suas non ultra Dipoenum et Scyllidem removet, etiam ab Aeginetis postremum coli coepta esse videtur. Quin etiam rigiditatem illam et lineamentorum abscissionem, quam sculptoria aegre devitat, statuaria pro genere fabricae facilius reliquisse putanda est. Quare eo magis praestantissimas illas artis Aegineticae reliquias admiramur, insignia documenta, Aeginetas etiam in marmore, et quam eximie, elaborasse. Utque vero templum Panhellenium, quod nunc visitur, bellis Persicis antiquius dicentibus non obloquar: tamen signa haecce mihi persuasissimum est, alteri et cultiori artis Aegineticae aetati, non vetustiori illi et informi deberi. Argumentum eorum, perspectum est, aut ad Aeacidarum cum Phrygiis certamina, aut ad Aeginetarum adversus Persas militiam pertinere: illud adhuc Wagnerus et Schellingius praetulerunt; vereor, ne rationibus parum firmis. Signorum fabricam, dicunt, tempus flagitare Persicis antiquius; beati scilicet, quibus de ea re iam omnia constant. Minerva quidem non tantum heroum ante Troiam patrona, sed etiam rerum navalium apud Aeginetas praeses est. Qui, si secus fuisset, huius praecipue fanum Aeginetae rostris Samaenarum exornassent? idque cum et Delphinium Apollinem et Dictynnam et Neptunum et Venerem Marinam iidem colerent. Lacones e manubriis Persarum post proelium Plataeense Porticum Persicam in foro suo instruxerunt. Num veri simile, Aeginetas tum victoriarum gloria illis haud inferiores, tum praedae opibus vel superiores et arte erectos athletas efformare consueta, eo artificiorum genere abstinuisse? Nisi autem abstinuerant: cui signa dedicarunt, nisi Hellanio Iovi? ubi, nisi in huius templi fastigiis? Quodsi iuvenes illos q) dextro pede valide promoto, sinistro longe retorto, pectore velut remis incumbente, utroque brachio intento et nullo quidem armorum telorumve vestigio insignes ego mihi mente recte conformavi: ut remiges putem facile inducor. Ne moneas capillorum concinnationem (in qua tamen fortasse servile aliquid inest), remigem dedecere. Neque enim unquam Dorienses pugnaturi caesariem, neque pubem ita concinnasse credendi sunt, ut hic conspicitur. Sed in his

q) D. E. V. Wagneri descriptionem p. 38.

quae forma antiquitus placuerat, ea in omnibus signis repetebatur. Modo non triremis speciem propugnatoribus plenae, ab utraque parte remige ad navis insigne adstante, qualis fere in nummis conspicitur, a vetere et audaciori arte alienum esse censueris [r]. Si autem Wagneri descriptionem assequor: fastigium anterius id dici, quod occidentem spectat, quoniam ex insula venienti obvium est, posterius id, quod est in mare conversum. Liceat tamen fastigium orientale atque mare intuens pro anteriori habere. Minerva utrobique, sed hic maior erat atque ornamentis insignior [s]: quandoquidem caput tantum colossi inventum est, idque crista et capillamento carens. Nimirum utrumque olim aderat, at non marmoreum [t]. In altero fastigio qui barbarus adest sagittarius, eum Persam esse, quam vellem nemo dubitasset. Braccatum manicatumque Pandarum certe neque Homerus neque antiquior ars effinxit. Habes quidem Paridem talem, et hunc tamen fluenti fere veste indutum. Sagittario autem illi sunt braccae atque vestis stricta et coriacea [v]. Ita enim apud Persas [w]. Est ea χειριδωτός. Sic Persae. In femore aptata erat pharetra. Neque illi aliter. Denique etiam capitis tegmen, videndum est, ne Persarum κυρβασίας vel πίλους ἀπαγεας exactissime referat [x]. Num vero signa reperta heroum certamini congruunt? Inter Aeacidas cum soli Peleus et Achilles Aeginetis proprii sint: iam Achilles certaminis princeps non poterat non constitui. Diceres et hic Achillem et Memnonem, Aiacem et Deiphobum, Paudarum et Teucrum ita coniunctos esse, ut in donario Apolloniatarum, Lycii Myronis filii opere [y]. At heroas isti sagittarii non referunt. Pausaniam vero (I, 23, 4.), etiam post bella Persica sagittandi artem Graecis praeter Cretenses patriam fuisse negantem, et Diitrephis sagittis confixi imaginem magnopere demirantem,

---

r) Doceri velim, utrum vir ille provectiore aetate (Q), membris violenter contortis ad solum proiectus saucium referat, an certum quoddam in pugna Salaminia heroice factum repraesentet. W. p. 61.

s) An fortasse puellae utrique fastigio appositae in νίκας supplendae erunt? t) W. p. 36.

u) Mus. P. Clement. T. II. t. 37. Winckelm. V. p. 62.

v) Intellexit Wagner. p. 47.

w) Locus quem Wagnerus p. 48. significare voluit (I, 7.), neuter est ex iis, quos Schellingius indigitat, sed I, 71. οἳ σκυτίνας μὲν ἀναξυρίδας, σκυτίνην δὲ τὴν ἄλλην ἐσθῆτα φορέουσι.

x) V. Her. V, 49. VII, 61. Wagner. 47. 52.

y) Wagnerus p. 193 de hoc in errorem incidit, iam a Facio ad Paus. I, 23. 8. aliisque correctum — in figuram I. Memnonem diceres; est etiam Memno barbatus ap. Paus. X, 31, 2.

egregie refutant Herodotus et Plutarchus [z]). A quibus, Atheniensibus et in Salaminio et in Plataeensi proelio magnum fuisse sagittariorum numerum, edocemur. Ita haud dubie etiam Aeginetis, cum proelium navale hoc telorum genus iam dudum poposcerit. — Sed haec adhuc coniecturae sunt, errores fortasse, si signa illa delineata prodierint.

Ceterum me multa nescire fateor, quae alii comperta habere videntur. Ita et Schellingio persuasissimum est, signa illa, quae Pausanias Αἰγινητικὰ ἔργα vel τρόπῳ τῆς ἐργασίας Αἰγιναίῳ confecta dicit, vere esse Aeginaea [a]); eaque vetustissima esse, constiterat etiam Winckelmanno. Sed fieri potest, ut neque haec *Aeginetica* ab ullo artifice Aeginaeo confecta, et contra artificum Aeginaeorum opera hisce Aegineticis dissimillima fuerint. Quo iam ducere poterat Pausanias ista τὰ Αἰγιναῖα καλούμενα nuncupans, eademque Atticorum tantum antiquissimis contendens [b]); cum contra Onatam Aeginetam nemini postponat τῶν ἀπὸ Δαιδάλου τε καὶ ἐργαστηρίου τοῦ Ἀττικοῦ. Quibus Pausanias etiam Phidiam involvisse credendus est. Ergo Onatae operibus species certe illis Aegineticis erat recentior: quanquam aetas, ut puto, revera multum antiquior. Ut enim Hadrianus Antinoum suum in Aegyptiorum superstitiones insinuaturus simulacra eius nec pedibus nec brachiis dimotis, more vetustissimo, fingi iussit [c]): ita etiam inter Graecos certa sacra, ipsis Romanorum temporibus, priscam signorum speciem flagitare necesse erat [d]). Haec puta dici Αἰγινητικά, haec spectare Hesychii glossam: ἔργα Αἰγινητικά, οἱ συμβεβηκότες ἀνδριάντες [e]). Tale fuisse

---

z) Hic Themist. 119. b. ille IX, 22, 60.

a) p. 175. 245. b) VII, 5, 3.

c) V. Winckelm. T. III. p. 72.

d) Ad lucum Ortygiam prope Ephesum plura erant sacella, vetusta alia, alia tempore recenti exstructa (ὕστερον γενόμενα). Nam etiam Strabonis tempore quotannis ibi peragitur panegyris (συντελεῖται) iuvenibus splendidas comissationes adornantibus, Curetumque collegio (quod nimirum etiam tum non secus ac Samothracum sacerdotes florebat) mystica quaedam sacra peragente. Hic in antiquis sacellis vetera asservabantur ξόανα: in recentibus dedicabantur haud dubie etiam ξόανα, sed vel tantum ad imitationem illorum perversa specie, sed recenti tempore facta, vel ξόανα ὡς ἕκαστον ἔτυχε πεποιημένα, ut Paus. I, 36, 2. Nihil nisi talia ut arbitror fuerant illa σκολιὰ ἔργα. Strabo XIV, 640. a.

e) Τοῖς ποσὶ συμβεβηκὸς Palladium ap. Apollod. III. 12, 3. quod parum apte explicavit Heyne. Cf. Tzetz. ad Lyc. 355. 361. Similiter Pollux III, 13, 91. et de Memnonis statua Philostr. V. Apoll. Tyan. VI, 3. Cf. Palaeph. π. ἀπιστ. c, 2. σύμποδα dicit Schol. in

existimo signum Dianae Limnatidis apud Tegeatas ex ebeno confectum: τρόπος δὲ τῆς ἐργασίας ὁ Αἰγιναῖος καλούμενος ὑπὸ Ἑλλήνων f). Similis huic Apollo Archageta Megarensium. Αἰγινητικοῖς ἔργοις ἐστὶν ὅμοιος, ἐβένου δὲ παντα ὁμοίως πεποίηται g). Atque affinis Dianae Limnatidi Dictynna erat Ambryssensis: τῷ ἀγάλματι ἐργασία τέ ἐστιν Αἰγιναία καὶ μέλανος τοῦ λίθου πεποίηται h). Proinde Pausanias, signa quae Aeginae vidit dinumerans, tum marmorea tum lignea, magna ex parte haud dubie ab Aeginetis confecta, de uno Apollinis ξοάνῳ — ξοανόν ἐστι τέχνης τῆς ἐπιχωρίου adiicit. II, 30, 1. At illa si vere vetusta disciplinaeque Aegineticae opera fuissent; dissuadet autem etiam materia, tum ebenum, tum marmor nigrum, utraque aevi recentioris; Smilidi certe ea tribuisset antiquitas.

His Aegineticis a Pausania opponuntur Aegyptia, opera quae per Ptolemaeos demum Romanorumve temporibus in Graeciam delata innotuere; unum si excipis Herculem Erythraeum, qui, ut ille censet (VII, 5, 3.) εἰ δέ τι ἄλλο ἀκριβῶς ἐστὶν Αἰγύπτιον. Atqui monstruositas et torpor signorum Aegyptiorum facile a simplicitate atque nativa quadam specie Aegineticorum dignosci potuisse videntur. Quanquam primordia artis, quae certe Aeginetica illa imitabantur, apud Tuscos, Aegyptios, Graecos etiam in minutissimis mirum quantum concinunt: sicuti in puerorum primis delineamentis eadem semper est abnormitatis species. Pedes primum coniuncti mox velut in gradiente discriminantur i); statura ubivis iusto procerior; oris et oculorum anguli sursum ducti in Aegyptiis et Tuscanicis, ut in Siculorum et Atheniensium vetustissimis numis et signis hisce Aeginaeis k). In quibus ut membra capite plurimum praestant; sic etiam inter Aegyptios bestiae liberius multo et naturae consimiliores fabricabantur, quam homines. Maxime tamen Aegineticis convenire videtur

---

Plat. Menonem p. 384, 5. Bekk. Contra Diodorus de Daedaleis IV, 78. Apollineque Teleclis et Theodori (I, 98. cf. II, 9.) διαβεβηκότα fuisse τὰ σκέλη. Quae fortasse inique explicuit Thiersch. p. 26. n. 42. Eusebii Praep. Ev. III, 11. p. 115. Vig. πόδας συμβεβληκότας intelligit Hug de Mytho p. 333. de pedibus curvis et inflexis. Sed emenda συμβεβηκότας (διὰ τὸ μὴ μεταβαίνειν).

f) Paus. VIII. 53, 5. g) I, 42, 5. h) X, 36, 3.

i) Sic apparent in sigillo aeneo, quod litteris

ΠΟΛΥΚΡΑΤΕΣ ΑΝΕΘΕΚΕ

Graecam et, ut videtur, Aegineticam fabricam arguit. Exhibet adiuncto alio persimili Paciaudi. Mon. Pelop. II, p. 51, 53.

k) Contra mentum, et apud Tuscos et Aegyptios et in numis illis pumilum Winckelm. 82, 191. signis hisce eximium est et grande. Wagn. p. 93.

alter, quem Winckelmannus dicit, artis Tuscanicae gradus[l]) insignis ossibus eorumque commissuris nimis perspicue delineatis, nervis torisque tumentibus, capillis et vestium plicis anxie et inepte concinnatis corporis habitu torto, eademque omnium facie et invenusta. Quo lupam Romanam refert pilorum dispositione arieti Aeginetico simillimam, et Tydeum praecipue, credo, pectoris conformatione signis Aeginaeis aequalem[m]). In hisce quidem mirandum quanta lis sit imitationis naturae atque veritatis cum more stabilito[n]). Neque enim in capillis, neque vultu, neque genubus id effingitur, quod naturae conveniret, sed quod olim placuerat: in ceteris humani corporis imago tam vere expressa est, ut conspicientem fere horror subeat[o]). Imitatricem diceres eam artem vel formae traditae vel observatae: sicuti etiam statuarii athletarum, velut Glauci σκιαμαχοῦντος Theognetique, effigiem maxime posuisse videntur.

§. 5. Aeginetarum tempora ante bella Persica.

OL. LX. — LXXIII, 3.

Haec ferme potentiae Aeginetarum subsidia quem ad felicitatis gradum populum evexerint, nihil evidentius, quam ipsa temporum florentissimorum historia commonstrabit.

Aeginetarum prima, postquam civitatem ab auctoritate Epidauriorum solutam constituere coeperant, expeditio, cuius memoria ad nos pervenit, Cydoniae erat occupatio. Μεγάλα enim, ut supra vidimus, κακὰ ἐποίησαν Σάμιοι Αἰγινήτας καὶ ἔπαθον ὑπ' ἐκείνων. Tum vero Samiorum exules, quos Polycrates Cambysi Aegyptum invadenti in auxilium miserat, cum eos Spartanorum auxilia in Samo expugnanda frustrata essent, Siphniorum opibus Hydream insulam ab Hermionensibus emerant, mox eā Troezeniorum custodiae commissā in Cretam navigant, hinc Zacynthiis, quibus nescio quapropter infensi erant, summotis Cydonia urbe potiti[p]) per quinque annos secunda usi sunt fortuna:

l) III, p. 219, 221. sq.

m) Wagn. p. 96. Vere Aeginaeum arbitror Genium illum aereum s. potius athletam Pisauri inventum, de quo Winckelm. p. 189, et Intpp. eius p. 393. sq.

n) Wagner. 89, 113. o) p. 89, 93, 94, 99, 129.

p) Κυδωνίην τὴν ἐν Κρήτῃ ἔκτισαν οὐκ ἐπὶ τοῦτο πλέοντες, ἀλλὰ Ζακυνθίους ἐξελῶντες ἐκ τῆς νήσου. Her. III 59. Cuius inimicitiae origo vix erat alia quam Ionum et Achaeorum odium invetera-

tuna: sexto ab Aeginetis, tum iam, ut Herodotus ait, maris dominis, navali proelio victi et cum Cretensibus subacti sunt. Ἔκτῳ ἔτεϊ Αἰγινῆται αὐτοὺς ναυμαχίῃ νικήσαντες ἠνδραποδίσαντο μετὰ Κρητῶν. Navium captarum rostra aprugna [q]) templo Palladis Aeginaeo dedicantur. Cydoniamque colonia deducta. Strab. VIII, 376. Quae facta sunt Olympiadis LXV anno secundo, pluribus annis post templum Iovis ab Aeginetis Naucrati conditum [r]).

Hinc multos ex incolis Cydoniae Cretensibus Aeginam esse abductos, cogitur ex Strabone praeter Dorienses, Argivosque et Epidaurios etiam Cretenses Aeginae colonos memorante [s]); et perpetua inde Aeginetarum cum Cretensibus commercia ipsum proverbium, ὁ Κρὴς πρὸς Αἰγινήτην, probare potest: quae quam in religiones utriusque insulae vim habuerint, suo loco observabimus. Quin etiam laetaremur, si, qui fuerit Aeginetarum Cydoniae, in vetere et iam dudum florente Cydonum sede [t]), status et quae conditio, aeque dispiceretur. Sed divinamus potius Aeginetas urbem occupatam diu tenuisse, sub tempora etiam belli Peloponnesiaci, ex iis, quae Thucydides (II, 85.) tradit: *Cydoniatarum Atheniensibus imprimis invisorum agros devastasse cum Polychnitis coniunctum Phormionem Atheniensem a Nicia, proxeno Gortynio, arcessitum* [u]). Necdum tamen urbi dies supremus illuxerat. Floret contra Cydonia, cum Hierapytniorum odia Praesi Eteocretas, Gnosiorum et Gortynae concordia Lyttum Lacedaemoniam evertissent, inter illos arbitra, Phalaeci Phocensis, qui Phaylli filius

---

teratum. Nam Achaei Peloponnesii Zacynthum condiderant Thuc. II, 67. Erant Spartanis inimici (Her. VI. 70. Thuc. I. I. Paus. IV, 23.): Samii contra his eorumque colonis favebant. Zacynthiorum navibus Demaratus apud Herod. l. l. ex insula in Asiam pervehitur, eorumque coloniae erant fortasse Zacynthus Hispaniae et Zacynthia Libyae. V. Steph. Byz. s. v.

q) Suis caput referentia. Nemo hunc locum aeque illustravit ac Naekius ad fragm. Choerili VI, p. 156. sq.

r) Cambyses Aegyptum petit Ol. LXIII, a. 3. ante ann. Christi 526. Samii huic in auxilium missi deficiunt, Lacedaemonios advocant, ab obsidione repelluntur Ol. LXIII, a. 4. a. C. 525. Pelluntur ab Aeginetis Ol. LXV, 2. a. C. n. 519, pulsique in Italia condunt Dicaearchiam. V. Euseb. n. 1496. Cf. Heyne N. Comm. Soc. Gott. II, p. 50. Opusc. Acc. V, 425. Larcher. Her. VII, 630.

s) Cf. Tzschucke ad Mel. II, 7. V. III, II, p. 702.

t) De situ mercaturis egregie favente v. praeter Meursium, Cretae I, 8. p. 365., Spanhemium in Call. Dian. 197.

u) Et suffragatur his locus Platonis de legg. IV, p. 707. e. ubi hospes Atheniensis ad Cliniam: τινὰς ὑμῖν, ait, ἔκ τε Ἄργους ὁρῶ καὶ Αἰγίνης καὶ ἄλλοθεν τῶν Ἑλλήνων εἰς τὴν χώραν κατῳκισμένους. Cui cf. Scyl. p. 18.

pecuniam exactum in Cretam venerat, victrix, Romanisque etiam temporibus, ut Florus ait, *urbium mater* [v]. Crevit immo temporibus Byzantinis [w].

Sed revertimur ad Aeginetas. Qui cum potentia faustaque florerent fortuna [x], accidit, ut circa Olymp. LXVIII. a. 4. Thebanis e vetere et insita inimicitia adversus Athenienses, Hippiae tyrannide nuper liberatos, belligerantibus deus τῶν ἄγχιστα δέεσθαι suaderet. Et diu incertos tandem quidam, ut, siquidem Thebe et Aegina sorores fuerint, auxilium implorarent Aeginetarum, permovit [y]. Implorabant igitur et exstitit ex eo tempore Aeginetarum cum Thebanis foedus, amicitia, hospitium, Pindaro Thebano saepe et magnifice celebrata [z]. Cuius tamen societatis causa vix in fabula illa, potius in odio Atheniensium utrique populo communi quaerenda erit, quod apud Aeginetas etiam Pisistratidarum tempore non cessaverat [a].

Id quidem constat, Aeginetas ante bella Persica Thebanae fuisse factionis. Nam inter Graecos, inter quos vix duae vicinae civitates absque inveterata invidia mutuisque odiis esse poterant, ut continua bella, ita continua foedera et societates ortae erant: hinc antiquitus secesserant duae factiones, diversissimae ab iis quae bellum Peloponnesiacum confecerunt: neque tamen alioquin fieri potuisset, ut minimi momenti bella, ut Chalcidensium et Eretriensium illud de Lelanto [b], omnem Graeciam ad arma vocarent. Omnia vertuntur circa Argivorum et Spartanorum inimicitias. Nam Dorienses et Heraclidas universa Graecia tanquam ipsius optimates suspiciebat: Iones et Aeolenses etiam Herodoti tempore contemptiores erant, quippe qui ab origine

---

v) Str. X, 478. b. Paus. X, 2, 4. Flor. III, 7. Eckhel. D. N. II, p. 309. sq. Ste Croix de la legisl. de Crète p. 356. Erant tamen instituta magistratusque Cydoniatarum Cretenses, *κόσμοι*. Chishull. Antt. Ass. p. 132. Eosque etiam cum Atheniensibus in gratiam rediisse, probant numi Atticum typum et modulum anxie affectantes, de qu. Eckhel. N. V. p. 149.

w) Phranzes I, 36. cf. Tzsch. ad Mel. III, 2. p. 816. sq.

x) Her. V, 81. *εὐδαιμονίῃ μεγάλῃ ἐπαρθέντες.* Similiter Aelian. V. H. XII, 10. *εὐφορίαν τινὰ χρόνων καὶ εὐκαιρίαν λαχόντες.*

y) Her. V, 80, 89. Diod. IV, 27. Schol. Pind. N. IV, 21, 30.

z) V. N. IV, 22. I. V, 27. VII, 16.

a) Documento est Pisistrati filia ap. Polyaenum V, 14. a Thrasymede Aeginam rapta. Sed cepit eum Hippias tum mare Saronicum praedonibus purgans, quos verisimillimum est. imprimis fuisse Aeginetas. Quae facta esse puto Olymp. LXIII, a. 1.

b) De quo v. Herod. V, 99. Thuc. I, 15. Qui: *μάλιστα δὲ ἐς τὸν πάλαι ποτὲ γενόμενον πόλεμον Χαλκιδέων καὶ Ἐρετριέων, καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ἐς ξυμμαχίαν ἑκατέρων διέστη.*

Hellenica defecissent: neque ulla tum ratione fieri potuisset, ut natio Doriensis ab Atticis tolleretur. Quare Athenienses, quorum ea semper maxima laus erat, quod Heraclidas olim amice excepissent, Spartanis sese adiunxerant, inimici tamen Argivis. Postea omnia contra. Multum fecerunt etiam Argivorum in civitates Argolidis, Thebanorum in Boeotos consilia tyrannica. Igitur opponuntur Argivi, Thebani, Aeginetae ab illa, Spartanis, Plataeensibus, Atheniensibus ab hac parte: sed cum his plerumque sentiunt Corinthii, Mycenaei, Epidaurii, Elei, Thespienses, Eretrienses, Milesii, cum illis Arcades, Pisatae, Histiaeenses, Chalcidenses. At Samii ambigui. Totque nominasse sufficiat. Quae confirmare possit bellorum inter Graecos illius saeculi recensio, confirmat bellum Persicum, tum prius, tum alterum c). Per quae cum partibus Argivorum debilitatis Athenienses increvissent, plerisque mox e minoribus civitatibus sublatis, nam eo tempore veteres Mycenae, Plataeae, Aegina, Histiaea eversae sunt, gliscente simul Doriensium et Ionum dissidio, Spartanorum cum Athenis de principatu bellum exortum est. Sed redeo a tam libero egressu. Nobis enim in arto labor.

Aeginetae igitur a Pythia, cui ne alterutra factio ingravesceret curae erat, in Thebanorum subsidium acciti, cum iis signa tantum Aeacidarum, penatium suorum, misissent, Thebani vero nihilosecius victi viris potius ipsis opus esse animadverterent: illi bello non indicto Phalerum navibus longis invadunt, Atticae agros pagosque maritimos ferro et igni vastant, bona diripiunt d). Quorum in vindictam Atheniensibus bellum iam parantibus, Apollo iterum intercedit oraculo, ne ante annum trigesimum primum, posteaquam Aeaco fanum condiderint, Martem molirentur vetans. Tum quae cuperent successura: sin vero illico arma moverent, πολλὰ μέν σφεας ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ χρόνου πείσεσθαι, πολλὰ δὲ καὶ ποιήσειν, τέλος μέντοι καταστρέψασθαι e). Quo comperto Aeaceoque condito, triginta tamen annos bello abstinere, Atheniensibus ne in mentem quidem veniebat.

Maturabant potius, iam inferebant, ni eos impedivissent reipublicae discrimina. Tum enim oppressit inopinatos nuntius percrebescens. Hippiam exulem Sigeo Spartam esse arcessitum; mox Corinthiorum consiliis exactum in Asiam reversum Persarum auxilia ambire. Quos inter rumores bellique formidinem rixa cum Aeginetis paullulum cessabat.

---

c) Cf. Aristid. Or. T. III, 301.

d) H. V, 81. Ἀθηναίους μεγάλως ἐσινέοντο. e) V, 89.

Cum vero ignominia Sardium exustarum Mileti incendio vindicata, sed Eretriae et Athenarum excidio penitus abolenda, bellum Marathonium cieret: Persae in ditione ex insulis non solum Rhodum, Con, Chium, Samum, Lesbum, Tenedum, Lemnum, Thasum habebant; sed ab omnibus etiam Cycladibus, Sporadibusque, si Naxum, tum octo millibus armatorum potentem, Melum, Cythnum, Siphnum et Seriphum excipis, terram et aquam a Rege Magno imperatas acceperant [f]). Et praestitit legatorum postulata etiam Aegina, tum ditissima omnium [g]): consilio, cuius pars Atheniensium odio et Argivarum Thebanarumve partium studio, pars fortasse commerciorum Asianorum curae tribuenda erit, neque, cum bellum Persarum prius Athenis et Eretriae peculiare fuerit, tantillum inest proditionis. Perniciosum tamen effecit eventus [h]).

Ut primum enim Athenienses de ea re certiores facti erant, statim Spartam legatis missis illos traditi Graecorum nominis postulant [i]). Nec frustra. Spartani, qui defectionis auctores comprehenderet, Cleomenem regem, Anaxandridae filium, ablegant [k]). Tum fraudibus et insidiis certatum. Aegineta enim Crius, Polycriti filius [l]), qui de dissidio inter Spartanorum reges certior factus cum Demarato, collegae suo domi invidiam atque suspicionem movente, nuntios communicaverat, Cleomenem, cum primum Aeginam venerat, tanquam Atheniensium pecunia corruptum, conviciis obtudit. *Non sine collega*, aiebat, *venisses, si publice esses missus* [m]). Nempe ad bellum quidem Reges singuli, ad res Peloponnesiorum componendas uterque emittendus fuerat. Ille priusquam abiret, Aeginetae nomen sciscitatus, cum Κριὸν dici accepisset, ἤδη νῦν, inquit, καταχάλκου, ὦ Κριέ, τὰ κέρεα, ὡς συνοισόμενος μεγάλῳ κακῷ. Ita-

---

f) H. V, 26. 30. 34. VIII, 46. cf. Aeschyl. Pers. 875 — 90.

g) H. VI, 49. Paus. III, 4, 3.

h) Cf. Manson. Spart. I, 1. 312. Quin haec tangit Rollinus L. VI, 7, 2. i) H. VI, 49. k) C. 50. cf. 61. 64.

l) Eustath. ad D. P. 511: Ἐκ ταύτης νήσου καὶ ὁ ᾀδόμενος Κριός, ἀνὴρ γενναῖος ἀθλητής, ἀφ' οὗ ἀπελαυνόμενος τῆς νήσου ὁ τῶν Λακώνων βασιλεὺς Κλεομένης κ. τ. λ. Apud Aristoph. Nub. v. 1359. iubetur Phidippides, ᾆσαι Σιμωνίδου μέλος· τὸν κριόν, ὡς ἐπέχθη: certe non ex epinicio, ut Scholium prius a Wolfio receptum, sed ex scolio a Ceo Atticissante in irrisionem Aeginetae ficto. Scholia servarunt duos versus

ἐπέξαθ' ὁ κριὸς οὐκ ἀεικέως
ἐλθὼν εἰς δένδρον ἀγλαὸν Διὸς τέμενος.

Qui mihi griphi sunt. Gaisford. Poett. minores T. II, p. 394. fr. CXXIV.

m) Her. VI, 50. Paus. III, 4, 3.

que abiit, quanquam, ut quidem Herodotus ait, κοινὰ τῇ Ἑλλάδι ἀγαθὰ προσεργαζόμενος, re tamen infecta [n]). Quae facta sunt Ol. LXXII, a. 1.

Mox vero Cleomenes, Demarato eius insidiis eiecto, cum Leotychida rege suffecto, ut ipsum Aeginam sequeretur, iam antea pactus, redit ignominiae suae ultor, principesque nationis decem, inter eos Crium Polycriti et Casambum Aristocratis, captos abducit. Tradit Atheniensibus, τοῖς ἐχθίστοις Αἰγινήτῃσι [o]). Postea cum Cleomenes insania correptus periisset, Aeginetae Leotychidam ob cives ipsorum Atheniensibus traditos Spartae in ius vocant: quos quoniam reddere non poterat, ab Ephoris Aeginetarum in vincula datus est; iamque eum abducebant, cum Theasidas Leoprepis filius iis, ut eum ad captivos Athenis repetendos comitem adsciscerent, persuaderet [p]).

Sed Athenienses tergiversatos, tanquam quod uterque rex deposuisset, alteri ex iis reddi nefas esset, nulla Leotychidae satis diserti ratio poterat movere [q]). Tum illi irati abeunt, atque dimisso ut videtur Leotychida, domi quae passi erant referunt. Quo factum, ut Aeginetae, dum, ut Herodotus iudicat, *iniuriam iniuriae addere, quam poenas iustas solvere malunt*, quinqueremem theorida Delum petentem cum principibus Atheniensium viris ad Sunium promontorium interciperent captivosque vinctos custodiae traderent [r]). Quae assignamus eiusdem Olympiadis anno alteri [s]).

Eodem tempore Nicodromus Cnoethi filius, vir inter Aeginetas auctoritate pollens, sed ob exilium prius sibi iniunctum indignatus, patriae Atheniensibus prodendae consilium ceperat [t]). At eo die, quo urbis arcem occupat, Athenienses οὐκ ἀξιόμαχοι τῇσι Αἰγινητέων νηυσὶ συμβαλέειν, dum a Corinthiis viginti naves mutuantur [u]) nondum ad-

n) H. c. 50. 61. Eust. l. l. Manso Sp. I, 313. Larcher. Chronol. Her. T. VII. p. 504.

o) H. 56. 73. Paus III, 4, 3.

p) H. 85. Arguit Herodoti narratio, de qua cf. Manso Sp. I, 2. p. 307, quanta tum fuerit nationum Doriensium aequabilitas Spartanorumque moderatio, ut qui ipsis rei Graecorum communis proditoribus regem suum tradere haud recusarent, nimirum quia Dorienses populo Ionico dediderat.

q) H. 55 — 87.

r) H. 87. Falsissima profert Drumann. Id. p. 190. — Horum captivorum pretio decem illos principes redemptos esse, etiamsi Herodotus tacet, res ipsa evincit.

s) Dodwell. Ann. Thucyd. p. 38.

t) H. 88.

u) Pro singula nave, cum antiqua lex Corinthiis, ne naves dono darent, interdiceret, pentadrachmo soluto. H. VI, 89. Thuc. I, 41.

sunt. Interea res emanat. Postridieque ubi illi cum classe septuaginta navium advenerant, Nicodromus iam lintre conscenso aufugerat: qui cum exilii sociis Sunium, inquilinorum receptaculum, unde Aeginam praedatum exiret, accepit [v]).

Nicodromi autem a partibus steterat plebs; ex qua tumultus die optimates septingentos trucidaverant; unum, qui Cereris Thesmophorae limen amplexus erat, manibus amputatis, ita ut in ansis vestibuli fixae haererent, abripuerant: ἄγος, quod ut Herodotus addit (VI, 91.) Aeginetae haud prius, quam cum ex insula cederent, expiarunt.

Et iam fata Aeginetarum urgere videbantur. Vincunturque ab Atheniensium classe, cui cum septuaginta triremibus occursaverant, non ita tamen, credo, ut victores urbem obsidioni maxime obnoxiam adoriri potuissent. Vocant Aeginetae Argivos in auxilium, sed frustra. Cleomenes enim cum (Ol. circ. LXVI.) in Argolidem irrumpens navibus egeret: Sicyonias et Aeginaeas rapuerat, hasce vix credo ex Aegina, sed e portubus Argolicis; quapropter et Aeginetis et Sicyoniis Argivi immanem quingenorum talentorum multam iniunxerant. Hi centum praestitis in amicitiam recepti, illi contumaciores auxilio nunc destituuntur [w]). Veniunt tamen ob mutua hospitia socii ex Argivis voluntarii ferme mille, sed plerique ab Atheniensibus caeduntur: quinetiam Eurybates, dux ipsorum quinquertio clarus, tribus certamine singulari occisis, Sophani Eutychidis filio Deceleo succumbit [x]). Quae dum terra geruntur, Aeginetae conscendunt naves, Atheniensium classem opprimunt, naves quattuor cum sociis navalibus capiunt. Sic proelio diremto bellum, cum Datim et Artaphernem cum classe ad Euboeam appulisse nuntiaretur, in medio haesit [y]). Sed pugnam non incruentam arguunt Atheniensium caesorum, quae prope Academiam vidit Pausanias (I, 29, 5.) monumenta: καὶ Ἀθηναίων δ' ἐστὶ τάφος, οἳ πρὶν ἢ στρατεῦσαι τὸν Μῆδον ἐπολέμησαν πρὸς Αἰγινήτας. Omnino autem ex his Atheniensium et Aeginetarum bellis Herodotus nihil nisi singula quaedam rerum momenta eaque fabulosa fere retulit.

Et levia forsitan cetera memoratu: neque tamen inter proelium Marathonium et Salaminium rixae eae feriari poterant; quoniam Graecos haud crediderim in lite, quae decem

---

Ubi tamen Corinthii, ipsorum naves Atheniensibus Αἰγινητῶν ἐπικράτησιν attulisse, mentiuntur. v) H. 90.

w) αὐθαδέστεροι ἐόντες H. 76 – 83. 92. Paus. III, 4, 1. coll. Mans. Sp. I. 303.

x) H. 92. eodem qui post pugnae Plataeensis praemium obtinebat. V. H. IX, 73. 74. 75. Paus. I, 29, 4. y) H. VI, 93.

annos cessavisset, componenda tantum operae consumpturos fuisse; neque Themistocles belli non instantis praetextu ad classem struendam usus esset. Et aperte Thucydides: Ἀθηναίους Θεμιστοκλῆς ἔπεισεν Αἰγινήταις πολεμοῦντας τὰς ναῦς ποιήσασθαι. Eratque iis aut bellum continuum, aut lacessita semper pax.

§. 6. Bella Persica.

Ol. LXXII, 3. — LXXV, 2.

Persarum, quae post haec sucessit, in Euboeam et Atticam incursio pugnâ Marathoniâ celerrime propulsata Graecorum ceteras civitates praeter repentinum tumultum haud admodum turbavit [z]). Convertisse eam tamen multorum oculos in Persarum imperium, ne is quidem negabit, qui Epimenidis vaticinium post eventum factum esse concesserit. Verumtamen Themistoclem, cum Atheniensibus ut vectigalia metallorum Lauriensium navibus exstruendis darent persuaderet [a]), ad bellum Persicum prospexisse, nulla certe cogit ratio. Satis ussit eum classis Aeginaea. Neque de Themistoclis provido consilio, quod subdidit ipsi Plutarchus, quicquam dixit Herodotus, qui de bello Aeginetico: οὗτος ὁ πόλεμος συστὰς ἔσωσέ ποτε τὴν Ἑλλάδα ἀναγκάσας θαλασσίους γενέσθαι Ἀθηναίους [b]).

Quantum vero discrimen sit inter prius alterumque Persicum bellum, ipsa Aeginetarum voluntas prorsus commutata significat. Tum primum enim, cum hocce immineret, horum et Atheniensium odia, omnium acerrima, communi Graecorum consilio componuntur [c]). Iamque obvia navibus, quas Xerxes Thermis solvens velocissimas decem e classe sua praemiserat, prope Sciathum cum Atticâ Troezeniâque navis speculatoria Aeginetarum, cui prae-

---

z) Quibus si adieceris, hoc bellum peculiari Atticorum fama excoli necesse fuisse; non mirum, multa in eo obscura, quaedam fictis haud dissimilia videri, in quibus nescio an numeri sint caesorum Persarum et Atheniensium, 6400 et 192, quorum proportionem 100 : 3 casui deberi, mihi persuadere non potui. Facricii ii mag s, quam exaggerati deminutive.

a) Her. VII, 144. Thuc. I, 14. Plut. Themist. c. 4. p. 113. c. Polyaen. I, 30, 5. Nep. Themist. 2., qui tamen gravem admisit errorem. Cf. p. 88. n.

b) Plutarchus: οὐ Δαρεῖον οὐδὲ Πέρσας ἐπισείων, ἀλλὰ τῇ πρὸς Αἰγινήτας ὀργῇ καὶ φιλονεικίᾳ τῶν πολιτῶν ἀποχρησάμενος εὐκαίρως ἐπὶ τὴν παρασκευήν. Similiter Aristid. III, 348.

c) Her. VII, 145. ἐδόκεε πρῶτον καταλλάσσεσθαι τάς τε ἔχθρας καὶ τοὺς κατ' ἀλλήλους ἐόντας πολέμους· ἔσαν δὲ πρός τινας καὶ ἄλλους ἐγκεχρήμενοι. ὁ δὲ ὦν μέγιστος Ἀθηναίοισί τε καὶ Αἰγινήτῃσι. Cf. Plut. de malign. Herod. 868. c.

erat Astonides. Navisque Atticae, dum ad litus alliditur, classiariis dilapsis, Troezeniâ captâ, sola Aeginetica virtute Pytheae, Ischenoi filii, Persis obstitit: qui navi iam expugnata eo usque decertavit ἐς ὅ, ut scriptoris verbis utar, κατεκρεουργήθη ἅπας. Persae tantam hominis virtutem admirati toti eum exercitui ostentant, vulnera eius curant, omni eum honore observant d).

Classi Eurybiadeae ad Artemisium Aeginetarum aderant octodecim tantum triremes, aut quia exercitum navalem nondum coëgerant, aut quia eum a custodia Peloponnesi longe ablegare nolebant e). Tametsi sufficere poterat etiam numerus tam exiguus, de quo Herodotus (VII, 203.) Graecis ad Thermopylas θάλασσαν εἶναι ἐν φυλακῇ ὑπ' Ἀθηναίων τε φρουρεομένην καὶ Αἰγινητέων affirmaret. Navalis haec et Thermopylarum clades cum barbaro Graeciae obices removissent, Persarumque classis Euripum permensa Phalerum appelleret: bellum ante insulae nostrae portus geri coeptum est.

Proelio Salaminio interfuerunt Aeginetarum naves triginta, si Valckenarium audis, quadraginta duae. Sic enim hic ad Herodoti L. VIII, 46. 48. argumentatur: *Numerum classis totius esse navium CCCLXXVIII. Cui nullum inesse mendum, clare demonstrari c. 82, ubi duabus accedentibus numerus CCCLXXX. compleatur. Numeris autem navium singularum civitatum computatis confieri solummodo CCCLXVI. et intelligi duodecim abesse. Quas duodecim adiiciendas esse Aeginetis, argui a Pausania II, 29, 5.:* Αἰγινῆται ἐν τῷ Μηδικῷ πολέμῳ παρασχέσθαι πλοῖα μετά γε Ἀθηναίους πλεῖστα. *Etenim cum Corinthii quadraginta praebuerint, Aeginetas necesse esse plures quam quadraginta misisse.* Quas rationes vehementer probat Larcherus (T. V, p. 464.): neque ego improbo, nec diffiteor numerum tricenarium paulo minorem videri, quam pro parte pugnae quam Aeginetas confecisse apparebit f).

Verumtamen, ne quid in Herodoti de Aeginetis loco corrigas, iam repetitum τριήκοντα vetat. Ita enim scriptor: Νησιωτέων δὲ Αἰγινῆται τριήκοντα παρείχοντο, ἔσαν μέν σφι καὶ ἄλλαι πεπληρωμέναι νέες, ἀλλὰ τῇσι μὲν τὴν ἑωυτῶν ἐφύλασσον, τριήκοντα δὲ τῇσι ἄριστα πλωούσῃσι ἐν Σαλαμῖνι ἐναυμάχησαν. Quae ipsa verba ex altera parte, quo tendat Pausanias, perspiciendi copiam dant. Etenim erant Aeginetis ἄλλαι νέες eae-

---

d) H. VII, 181. Longin. π. ὕψ. sect. 31. p. 109. Toup.

e) H. VIII, 1.

f) Etiam Strabo IX, 394. *Αἰγινῆται ναυτικὸν ἀξιόλογον παρασχόμενοι.*

que *πεπληρωμέναι*; quas domi reliquerant, profecto non ea animo volventes, ut qui omnium Graecorum classe fusa fugataque se suam insulam tutari posse putarent, sed ut illis diebus, donec classis Graecorum ab Aegina seclusa erat, Persas, qui omnes circumquaque insulas et totum mare Saronicum tenebant g), a patria sua arcerent: siquidem, dum Graecorum classis ad defendendas Atheniensium coniuges et liberos Salamini immorabatur, iniquissimum fuisset Aeginetas sua obiicere perniciei. Atque etiam huc ut Salaminem et Troezenam profugi ex Attica sese contulerant h). Sed illas ipsas Aeginetarum naves, infra ostendetur, pugnae extremae haud fuisse expertes.

Nihilosecius computationis vitium non Herodoto, sed librariis esse tribuendum, quis est, qui infitietur. Vitium autem video duplici ratione irrepere potuisse, aut civitate aliqua e catalogo copiarum omissa, aut numero navium cuiusdam populi corrupto. Sed collatis pugnae Artemisiacae proeliorumque pedestrium copiis et spectata rerum continuatione, ex Aegaei maris parte septentrionali post Graecos ab Artemisio reversos nullam facile navem Troezenam vel Salaminem accedere potuisse, intelligetur; quippe quae tum iam a Persis tenebatur. Civitates Argolidis, quae naves habebant, omnes adsunt; e Triphylia ne Plataeensi quidem proelio ullos praeter Lepreatas affuisse, Pausanias i) luculenter docet: Eleorum gens sacra navalis maxime belli ignara: Achaeos tum quievisse, omnis consentit antiquitas. Aegaei autem maris ex insulis haud plures quam nunc memorantur affuisse, Herodotus ipse alibi k) affirmat; neque ultra Ambraciam et Leucadem, praeter Crotoniatas, ullos advenisse belli socios, docet idem VIII, 47. Inter Aetolos vero, Acarnanes et Cephallenios, quamvis hi, nunc *ναυτικώτατοι*, pugnae Plataeensi affuerint, popellum qui trire-

---

g) Her. VIII, 76. 81. 95. Aesch. Pers. 446.

h) Her. VIII, 41. Apud scriptores aevi serioris, ap. Diod. S. Cic. de off. III, 11. Iustin. II, 12. Aristid. I, p. 241, 316, eius rei memoria abolita est, ut in rebus Aegineticis fieri solebat.

i) V, 23, 1. *Λεπρεᾶται τῶν ἐκ τῆς Τριφυλίας μόνοι.* Herod. IX, 28.

k) VIII, 66. Xerxes secum trahit *τοὺς νησιώτας πάντας πλὴν τῶν πέντε πολίων, τῶν ἐπεμνήσθην πρότερον τὰ οὐνόματα.* Sunt Naxii (de quibus cf. Hellanic. p. 119. Sturz. Plutarch. T. II, p. 869.), Seriphii, Siphnii, Melii, Cythnii: nam Ceum Herodotus non Cycladibus, sed Atticae vel Euboeae (cf. Str. X, 448, a.) addit: mirum cum Cycladibus annumeraverint Scylax, Dicaearchus, Strabo, Artemidorus. (v. Tayl. Marm. Sandvic. p. 61.) De Corcyraeis v. Her. VII, 168. Aristid. III, 298.

mes habuerit nullum usquam invenies. Sequitur, nullius excidisse civitatis nomen [l]).

Est igitur in numeris corrigendum. At in Corinthiis, Megarensibus, Chalcidensibus, Eretriensibus, Ceis, Styrensibus ne quid mutes, prohibet additum τὰς αὐτὰς ἢ ἐπ' Ἀρτεμισίῳ simileve quid. Verborumque Ἐπιδαύριοι δέκα, Τροιζήνιοι πέντε, Ἑρμιονέες τρεῖς lectionem tueri videtur iustus numerorum ordo: quanquam Troezeniorum parva manus pugna Mycalensi maxime inclaruit [m]). Sed Ambraciotae, Leucadii, Naxii, Cythnii non ii sunt, quibus duodecim triremes addere possis; nec numeri facile patiuntur. Iam de Atheniensibus suspicio nulla esse potest, nisi levissima. Nam oratores passim gloriati, Atheniensium plures, quam omnium ceterorum Graecorum, naves pugnae Salaminiae interfuisse, ad viginti illas Chalcidensibus datas respexerunt [n]): et Diodorus (XI, 12. p. 249.) numerum ad CXC adaugens in tota ea computatione falsus est: denique ducentis navibus, satis constat, Athenienses sub ea tempora nec plures habuisse, nec pauciores. An vero Lacedaemonii decem navibus ad Artemisium missis, quibus sex addiderunt, etiam octodecim addere potuerint, vix quaeri potest. Iam relictos videmus s o l o s S i c y o n i o s. Qui ad Artemisium naves miserant duodecim, ad Salaminem, ut nunc legitur, quindecim: neque tamen probabile est, gentis tum mari potentis [o]) tres tantum naves Peloponnesum circumvectas Troezenam venisse. Latet igitur mendum in verbis (VIII, 43.) Κορίνθιοι τὸ αὐτὸ πλήρωμα παρεχόμενοι τὸ καὶ ἐπ' Ἀρτεμισίῳ. Σικυώνιοι δὲ πεντεκαίδεκα παρείχοντο νῆας. Quod vide an recte sic sustulerim: Σ. δ. πεντεκαίδεκα παρείχοντο π λ ε ῦ ν α ς [p]).

---

l) Apud Plutarchum (Themist. c. 20.) una et triginta civitates belli Persici participes fuisse dicuntur: totidem, civitatum, quae proelio Salaminio et Plataeensi interfuerunt, numeris apud Herodotum collatis, confiunt. Cum Anactoriis enim coniunguntur Leucadii ut in Iove Olympiae dedicato ap. Paus. V, 23, 1. (cf. Petrizzopulus in hist. Leucad. p. 48, 52). Tenii numerantur, ut ibidem. Lemniorum vero et Crotoniatarum singulae naves in computum non intrant. Excidit igitur nullum nomen. m) Her. IX, 102.

n) Isocr. Panegyr. p. 82. L. V. Her. VIII, 61. Thuc. I, 74. Cf. Her. VII, 144. V. Boeckh. Oec. Att. II, §. 21. p. 276. o) Her. VI, 92.

p) Namque ad Artemisium (Her. VIII, 1.) Σικυώνιοι δυοκαίδεκα. Hi vero inter omnes Peloponnesios a classe Graecorum longissime aberant. Atqui soli Peloponnesii navium suarum numerum post pugnam Artemisiacam adauxerunt; integrae accesserunt vires accolarum maris Ionii et Cycladum, ceterorum utrobique par numerus. Haec docent Herodoti (VIII, 1, 43.) loci comparati et rerum gestarum series. Neque socii pugnae Plataeensi ulli accesserunt, nisi populi

Hac ex ambage revertimur ad pugnam Themistoclis strategemate, cum Peloponnesii ad Isthmum abituri Aeginetas et Athenienses Megarensesque solos relinquere vellent, callide contractam. Nam haec Herodotus (VIII, 74.): Lycurgum contra apparet (adv. Leocr. p. 156, 33.) Aeginetas, mentientem, cum Eteonico (Eurybiadem vult) Adimantoque Corinthio conspirasse, ut classem a Salamine abstraherent, dum Aeginetis consilia ipsis perniciosissima affingit, Atheniensium in hosce odio nimis indulgere.

Tum terrae motu contremiscente Graeciâ, Graecorum exercitui diis sacra facere et Aeacidas in auxilium vocare visum est. Iam omnes post vota cunctis Olympiis pie nuncupata Salamine, hic enim erant Aeantea, Aiacem et Telamonem evocant, ad Aeacum, Peleum, Phocum, Achillem arcessendos navem in Aeginam mittunt q). Sed de Aeacidis his, quorum iam supra similis iniecta est mentio, infra verba quaedam addenda erunt. Quae vero cum navis Aeginâ rediisset, et pridie antea Aristides, qui in Aegina vitam exul egerat r), Graecos, ipsos esse circumventos, certiores fecisset: pugna inita est.

De proelii principio Aeginetarum et Atheniensium dissensionem, quorum hi, Aminiam Pallenensem navi hostili primum esse implicitum, illi triremem, quae Aeacidas attulerat, certamen esse auspicatam, contendebant, vix puto fore qui tollere possit. Nam ambigua omnino observatuque difficilia pugnarum momenta: et Aeschylum, etiamsi Aminiae frater non erat, suis popularibus honorem illum arripere, haud miramur. Eam vero esse poetae sententiam, aperte indicat versus hicce (Pers. 405. Bl.)

τὸ δεξιὸν μὲν πρῶτον εὔτακτον κέρας
ἡγεῖτο κόσμῳ.

Etenim Lacedaemoniorum ordinem versus Piraeeum, Atheniensium Eleusini propius instructum hunc dextrum, illum laevum cornu tenuisse, diserte affirmat Herodotus (VIII, 85.), neque Diodoro (XI, 18.) Athenienses et Lacedaemonios coniungenti ulla debetur fides: Aeginetas autem cum Peloponnesiis stetisse, tum ex Diodoro tum e re ipsa intelligi potest; et Atheniensium Aeginetarumque

---

mediterranei praeter longinquiores Palenses e Cephallenia, et Potidaeatas quos necesse est, iam aliquantum temporis ante apud Corinthios, quibus magis subiecti erant quam pro colonia, stipendia fecisse, V. Herod. VIII, 43. IX, 28. Paus. V, 23, 1.

q) Herod. VIII, 64. cf. 121. Adde Plutarch. Themist. 119. c. Philostr. Heroic. 19. p. 743. Vit. Soph. II, 1. 546. Olear.

r) Her. 79. 81. 83.

aciem sibi opponit Herodotus tum loco laudato tum capite sequenti [s]). Similiter e versu hoc (415.)

ἦρξε δ᾽ ἐμβολῆς Ἑλληνικὴ
ναῦς, κἀποθραύει πάντα Φοινίσσης νεὼς
κόρυμβα,

cum Phoenicibus Athenienses oppositi fuerint, hosce pugnam orsos esse, colligitur [t]). An tamen satis apte, dubito. Nam Phoenices, ut pars princeps, pro universa Persarum classe poni poterant, Iones vero, quos Atheniensibus oppositos fuisse Herodotus docet, quia Persa eo nomine omnes Graecos nuncupat, nominari non poterant [u]). — Tametsi inter pugnam aciem servari freti angustiae vetabant. Quocirca nemo mirabitur, navem Samothraciam, quae inter Iones collocata erat, Atticam, initio adversus Phoenices positam, mersisse, Aeginetas autem eandem confestim esse adortos. Et subegerunt, sed Samothraces, iaculandi peritia Aeginetis deturbatis, nave eorum potiti sunt [v]).

De deorum auxilio itidem alia referebant Athenienses, alia Peloponnesii. Illis Ceres cum Iaccho et clamor mysticus e Thriasio campo audiebatur [w]): hi Aeacidarum umbras et imagines videbant armatas et ex Hellanio monte, nam is classi obversus erat, manus pro Graecorum triremibus protendentes [x]).

Iam Aeginetarum et Atheniensium iuncta fortitudine Persae in fugam versi Phalerumque repetentes in altum tendunt. Sed hic in freti exitu Αἰγινῆται, ut Herodotus (c. 91.) tradit, ὑποστάντες ἐν τῷ πορθμῷ ἔργα ἀπεδέξαντο λόγου ἄξια. Qui, obsecro, ii Aeginetae? Profecto non ii, qui ipsi intra fretum cum Megarensibus et Lacedaemoniis steterant. Unde igitur? οἱ μὲν γὰρ Ἀθηναῖοι, ait ille, ἐν τῷ θορύβῳ ἐκεράϊζον τάς τε ἀντισταμένας καὶ τὰς φευγούσας τῶν νηῶν, οἱ δὲ Αἰγινῆται τὰς ἐκπλωούσας· ὅκως δέ τινες τοὺς Ἀθηναίους διαφύγοιεν, φερόμενοι ἐσέπιπτον ἐς τοὺς Αἰγινήτας [y]). Solis luce

---

s) 86. τὸ δὲ πλῆθος τῶν νηῶν ἐν τῇ Σαλαμῖνι ἐκεραΐζετο, αἱ μὲν ὑπ᾽ Ἀθηναίων διαφθειρόμεναι, αἱ δὲ ὑπ᾽ Αἰγινητέων.

t) Evicerunt hinc Stanleius et Blomfield neglecto uterque loco iam laudato.

u) Cf. Blomfield ad Pers. v. 42. v) Her. c. 90.

w) Her. VIII. 65. Plut. Them. 119, d. x) Id. 119, e.

y) Eodem fortasse spectat Aeschylus v. 423. Ἑλληνικαί τε νᾶες οὐκ ἀφρασμόνως κύκλῳ πέριξ ἔθεινον. Si Aeschylus in Persis Aeginae mentionem iniecerat, quo tum insulae vicinia, tum eius ἀριστεῖα ferunt, eam tum, cum Aeginetae ab Atheniensibus subiecti, expulsi, denique trucidati essent, etiam nullā totius dramatis diasceuā (v. Blomfield. Praef. p. XXVI.), tamen tolli necesse erat. Quo trahere

clarius est, naves ad Aeginae praesidium relictas inter certamen fretum Salaminium praeclusisse; et sic nihil apertius, quam non triginta illas tantum naves, sed omnem Aeginetarum classem proelii fuisse participem. — Cuius dux, puto, erat Polycritus Crii filius. Qui dum Pytheam Aeginetam, eundem de quo supra dictum est, nave Sidonia, qua captivus vehebatur, expugnata vinculis exsolveret, hoc inter certamen Themistoclis navem occursantem conspiciens in ducem Atheniensem clare inclamans *ἐπεκερτόμησε*, ut Herodotus (VIII, 92.) dicit, *ὡς τῶν Αἰγινητέων τὸν Μηδισμὸν ὀνειδίζων*.

Pugnâ pugnatâ inter viros Polycrito Crii, inter populos Aeginetis Graecorum suffragio fortitudinis palmam decretam esse, aperte indicat Herodotus, occultius sed magnificentius Pindarus [z]). Sed Strabonis, Diodori, Plutarchi tempore rei memoria iam evanida effecit, ut primus *ἀμφισβητήσασάν ποτε πρὸς Ἀθηναίους περὶ πρωτείων ἐν τῇ πρὸς Σαλαμῖνα ναυμαχίᾳ Αἴγιναν*, alter Atheniensium *ἧτταν ἄδικον* appellaret, Plutarchus palmam magis Lacedaemoniorum in Athenienses invidiae, quam Aeginetarum valori attribueret [a]): nimirum omnes rationis proelii Salaminii ignari. Aegre igitur ferendum, Herodotum ab eodem Plutarcho (de mal. Her. §. 51. p. 871.) eadem in re invidiae in Athenienses esse incusatum. Abuti eum, conviciatur, Delphorum numine. Nam *Aeginetas* narrat Herodotus (VIII, 122.) *Apollini haud prius, quam ipse, ut ait, ἀπαίτεε τὰ ἀριστήϊα τῆς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίης, praedae partem debitam misisse. Misisse autem stellas tres aureas, quae haud longe a Croesi cratere in malo aereo fixae viserentur.* Quae certe absque dolo malo et verius scripta arbitror, quam quae supra Plutarchus, notatus iam a Valckenario: et ne huic quidem concesserim, *vulgi*

possis versum p. 3. n. 1. laudatum. Quem tamen desumtum esse malo e *Σαλαμινίαις*, fabula, quae Persis successisse et in pompis Salaminiarum versata esse videtur. Ad naufragia ap. Herod. VIII, 96. spectare videtur glossa Hesychii, *ἀναροιβδεῖ* et *κανθίλας*, *ἀνοιδήσεις*. V. Fabric. Bibl. II, p. 182. ed. rec. Frag. Aesch. p. 644. ed. Pauw.

z) Ille VIII, 93. *ἐν δὲ τῇ ναυμαχίῃ ταύτῃ ἤκουσαν Ἑλλήνων ἄριστα Αἰγινῆται*, hic I. IV, 51. de Aeginetis, *πολλὰ μὲν ἀρτιεπὴς γλῶσσά μοι τοξεύματ᾽ ἔχει περὶ κείνων κελαδέειν· καὶ νῦν ἐν Ἄρει μαρτυρῆσαι κεν πόλις Αἴαντος ὀρθωθεῖσά ναύταις ἐν πολυφθόρῳ Σαλαμὶς Διὸς ὄμβρῳ ἀναρίθμων ἀνδρῶν χαλαζάεντι φόνῳ.* Adde Ephorum ap. Schol. Pind. I. V, 63. p. 836. H. (p. 221. Marx.)

a) Str. VIII, 375, b. D. S. XI, 27. 28. 55. Pl. V. Themist. p. 120. c. Add. Aelian. V. H. XII, 10. Schol. ad Aristid. laudata a Valckenar. p. 662. Cf. Perizon. ad Ael. V, 19. XII, 10. Wessel. ad D. S. p. 426. Mitford. Hist. II, c. 8.

solum de palma iudicia referre Herodotum, cum contra hic, ut Plataeis, λίσχην factam esse civitatum, certissimum sit.

Vere insequenti, postquam Spartani Leotychida duce Aeginam concesserant, Athenienses sub Xanthippo secuti erant: hic tum communi Graecorum concilio constituto, insulae nostrae portus exercitum navalem universum continebant b).

Eiusdem anni mense Septembre, cum terra marique, Plataeis et ad Mycalen certaretur, Aeginetae non navali solum sed terrestri quoque pugnae aderant. Steterant acie instructa inter Palenses ex Cephallenia et Megarenses, adversi Sacis, numero tantum quingenti gravis armaturae c). Quo magis memorare libet, in Iovis signo post pugnam Olympiae dedicato (ap. Pausan. V, 23, 1.) Aeginetas quintos post Lacedaemonios, Athenienses, Corinthios, Sicyonios, ante Megarenses, quorum tria millia aderant, Tegeatas, qui mille et quingentos, Troezenios, qui mille, Phliasios, qui totidem praestiterant, adscriptos esse. Quamobrem civitates aut dignitate quadam censas, aut numero navium ad Salaminem missarum una supputato, ordinem nactas esse putaverim d).

Post proelium ab Herodoto memoratur Lamponis Aeginetae, Pytheae filii, de Mardonio cruci affigendo consilium a duce Spartano egregie obiurgatum e). Praedam cum

---

b) Her. VIII, 131, 132.

c) In horum numerorum computatione labor est, neque expedit illud *fere*, Spartanorum ψιλοῖς appositum (quo nititur Manso Sp. I, II, p. 312.), cum Herodotum vix crediderim levis armaturae numerum aliunde quam ex hoplitis definivisse. Sed fortasse DCCC ψιλοί, qui redundant, aut octingentis Epidauriis (ut κονιοςπόποδες) aut octingentis Anactoriis, ita ut singulis duo additi fuerint levis armaturae, adiungendi erunt.

d) Omnino Iovem illum, ut tripodem Delphos missum (Her. VIII, 82. Arist. III, 348.), non tam de pugna Plataeensi, quam de universo bello dedicatum arbitror. His favet Plutarch. l. c. p. 873. d. Ob eam causam legimus Tenios, qui propter navem ad Salaminem transfugam ἐνεγράφησαν ἐν Δελφοῖσι ἐς τὸν τρίποδα ἐν τοῖσι τὸν βάρβαρον κατελοῦσι. Eodem spectant Naxii et Cythnii e Cycladibus appositi. νησιῶται Χῖοι, καὶ Μιλήσιοι fortasse ad Iones ad Mycalen deficientes respiciunt. Tum desiderantur Samii. Alii Κεῖοι καὶ Μήλιοι. V. Wessel. ad Diod. T. I, p. 405. Valcken. ad Her. VII, 95. sed hos removere videntur seqq. ἐκ δὲ Αἰγαίου καὶ τ. Κυκλ. οὐ Τήνιοι μόνοι κ. τ. λ. Desunt e sociis pugnae Plataeensis Cephallenii cum Eretriensibus. Elei quanquam sero venerunt, honoris causa, quippe in Iove Olympiae dedicato, appositi sunt.

e) Her. IX, 78. Paus. III, 4, 7. Cuius Pytheae filius? Eiusdem ut apparet, qui supra ad Sciathum κατεκρεουργήθη ἅπας: nam

Pausanias tangi vetuisset, Hilotes eius custodes Aeginetis multa clam eaque vilissimo pretio vendiderunt. Adeoque hi tantas inde opes congessisse dicuntur, ὥςτε, ut Herodotus (IX, 80.) scribit, Αἰγινήτῃσι οἱ μεγάλοι πλοῦτοι ἀρχὴν ἐνθεῦτεν ἐγένοντο, οἳ τὸν χρύσον, ἅτε ἐόντα χαλκὸν δῆθεν, παρὰ τῶν εἱλωτέων ὠνέοντο At novimus morem scriptoris, populorum statui opibusque vetustis causas multum recentiores subiicientis, neque igitur Aeginetas ob huius mercaturae fraudem magnopere obiurgabimus [f]). Perspicitur tamen ex istis Herodoti ipsius verbis quantis tum divitiis Aeginetae floruerint. Quae certe priora, quam quae L. VI traduntur, atque ante Aeginetas patria expulsos conscripta sunt. Sed stipendiarii tamen Atheniensibus iam tum erant.

Decem post pugnam annis, tradit scriptor ut rem, quam famâ (et Atticâ quidem) acceperit (IX, 85.), Cleadem Autodici f., hospitem Aeginetarum Plataeensem, ipsis flagitantibus caesorum in campo pugnae cenotaphium exstruxisse: vanitatis specimen, quippe cum Spartani tantum et Athenienses in pugna decertaverint. Cuius rumusculi de levitate hic non ambigemus: carpit certe nostrum crisis Plutarchi (p. 873. a.).

---

coniungit eos odium in Persas vehementissimum. Qui cum filius Ischenoi sit, nostrum igitur Lamponem Ischenoi nepotem dicemus, ad quae infra redeundum erit.

f) Ita maxime Mitford. IX, c. 3. extr. Cf. Melot. in Act. Ac. Inscr. XXIII, p. 166. Larcher. Her. VI, p. 141.

Caput Quartum.

Florens Aeginetarum status.

Res publicae g).

§. 1. Servitium. Securitas publica. Ius Aeginaeum.

Quaestionem de Aeginetarum statu publico nescio quo nomine melius ordiar, quam *Aristotelis* ex Αἰγινητῶν Πολιτείᾳ solo quod superest fragmento. Est apud Athenaeum VI, 20. p. 272. b.: Ἀριστοτέλης ἐν Αἰγινητῶν Πολιτείᾳ καὶ παρὰ τούτοις, φησὶ, γενέσθαι ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα μυριάδας δούλων. At numerum corruptum dicent, qui nostrorum temporum rationes antiquitati contendunt. Sed eundem habent, quae sua non ex Athenaeo hausisse videntur, Scholia in Pind. O. VIII, 30.: ἀνδρῶν οὕτω φασὶ πλήθειν τὴν Αἴγιναν, ὡς εἶναι ἐν αὐτῇ τετταράκοντα καὶ ἑπτὰ μυριάδας οἰκετῶν h). Ergone intra ducentorum stadiorum ambitum quadringenties et septuagies mille servos habitasse? Tamen cogit auctoritas Aristotelis: neque numeri talis est ratio, ut multum adauctus videretur. At vero in ipsa Attica Demetrii Phalerei census quadringenta tantum servorum millia reperit: neque ultra quadringenta et sexaginta millia aluisse traditur Corinthia: quanquam ea Aeginae magnitudinem sexies superans et quindecim oppidulis et portubus florens. Neque tamen id fieri unquam potuisse concesserim, ut Athenae, Corinthus, Aegina eodem omnes tempore tanta mancipiorum multitudine affluerent i). Cuncta barbaries Graeciae non suffecisset. Sed Athenae maxime post Aeginae casum, Corinthus vel Timoleontis vel Macedonum tempore eâ frequentiâ floruerunt. Nam e tertio Sicilicorum Timaei quae de Corintho narrantur, deprom-

---

g) De quibus nescio quis egerit praeter *R. Reinesium de republica Aeginaea* Hist. Iul. p. 548. non omnino spernendum.

h) Hac propter Steph. Byzantius inter *Αἰγιναῖα* τὸν ἔποικον ἢ κέραμον ἢ ὄβολον, inter *Αἰγινητικὰ* τὸν τοῦ *Αἰγινήτου* φόρτον ἢ δοῦλον recenset. Quae repetit Zonaras p. 77. frustra vexatus a Tittmanno. Atqui Aeginaeus obolus, κέραμος, φόρτος res sunt frequentissimae. Ergo etiam servi.

i) V. Ste Croix. Act. Ac. Inscr. XLVIII, p. 146, 165. legisl. Cretae p. 455. Reitemeier Servitut. historia p. 68. Boeckh. Oecon. Athen. I, 7. p. 38, 42.

prompta sunt. At haec mittimus. — Cives Attici, e viginti millibus, mille octies ad Plataeas dimicaverunt: Aeginetarum ibidem aderant gravis armaturae quingenti. Quibus si eandem rationem admoveris, mille ferme et trecenti cives efficerentur. Verumtamen centum triremes praeter sedecim servorum millia, quando quidem omnes remiges sociique navales servi erant, tamen etiam quater mille propugnatores postulant k): quos inter Aeginetas quoque cives fuisse credendum est. Igitur ponamus civium Aeginetarum quinque millia. His autem puto non minor erat numerus inquilinorum, nusquam frequentior quam in Aegina. Hinc ad quadraginta millia hominum liberorum, ultra quingenta millia incolarum conflerent l). Verum urbem quae tot hominum dimidiam modo partem comprehenderet, per totum fere Aeginae litus occidentale, planissima insulae, patere necesse erat m): cetera collis Panhellenius, Aphaeae lucus, Oea, Tripyrgia, saxa montesque explebant: et ne reliquam quidem insulae partem, eamque vix mille homines nutrituram, mihi persuasum est, cum Aeginae res starent, nisi optimatum hortis et villis consitam fuisse. Contra poscit incolarum numerus n) frumenti medimnorum ad minimum quotannis ter et tricies centena millia, nescio quot navibus onerariis invehenda. Totne ex Ponto et unde vis invectos esse? si Atticae ipsi haud ultra centum myriadibus opus erat. Mera hallucinatio. Pone negotia frumentaria omnium florentissima, providentiam et sollicitudinem Sitophylacum et Agoranomorum admirabilem, optimatum de plebis annona curam, qualis apud Rhodios erat: quivis tamen commeatus vel ab Atheniensibus interclusus vel tempestatis vi prohibitus omnem civitatem perdidisset vel dissipasset. Unde cogitur, praeter Novam in Argolide Aeginam, ubi certe ut in classibus, in coloniis, Masete, magnus servorum numerus continuo degebat, etiam agros ibidem habuisse Aeginetas, eosque tanta sedulitate cultos, ut annonae partem non minimam suppeditarint.

Servos Aeginaeos dominorum imperium unquam detrectasse, non legitur: quanquam bellis servilibus in omni

---

k) Aegina, dum florebat, etiam Corintho multum offecit. Omnes Corinthiorum coloniae ad mare Ionium sitae sunt, nulla ad Aegaeum. Ipsa urbs Lechaeo propior et cum hoc portu coniunctior erat.

l) Boeckh. l. l. II, 22. p. 302. sq.

m) CCCCL. ferme stadia quadrata, e descriptione Gelliana. Athenae e delineatione Barbieri du Bocage trecenta stadia quadrata aliquantulum superant. Sed Athenae exiguae erant, comparatae cum urbibus Doriensium in Sicilia.

n) In his omnibus verba fere praeit Boeckh. de Oecon. Ath. I. 15. p. 84. sq.

Graecia nihil frequentius o). Nec sine familiarum auxilio proceribus, ut plebis seditionem reprimerent, evenisset: Corcyrae certe cum servi a plebis parte starent, optimatum internecio facta est p). Quo vero maior, in exiguo civium liberorum numero, servorum et inquilinorum turbaeque mercatoriae multitudo: eo instituta de securitate publica severiora esse necesse erat, et disciplinam molestiorem. Ad haec, suspiciosa quaedam licentiae circumscriptio, et studiosa vigilantia optimatum rebus publicis, maxime in emporiis, propria est. Itaque Plato Cratylo (p. 106, 2. Bk.) loco illo: λέγεσθαι δ' οὖν, ὦ μακάριε, ἴωμεν, ἵνα μὴ ὄφλωμεν, ὥσπερ οἱ ἐν Αἰγίνῃ νύκτωρ περιιόντες ὀψὲ ὁδοῦ, κ. τ. λ. in Aegina noctu circumvagari vetitum fuisse, levi irrisione refert. At erat institutum quieti huius civitatis necessarium. Dehinc proverbium (App. e Vatic. I, 72, p. 271. Schott.) εἴ τις περὶ πόλιν· Αἰγεῖς, λέγεται, τοὺς ἀνέδην περιιόντας καὶ πλανωμένους ἔσκωπτον ταύτῃ τῇ παροιμίᾳ q). Reponoque sine ulla dubitatione Αἰγινῆται r). Quibus apposita sunt, quae Aeneas in Comment. Poliorc. c. 19. narrat, *Aeginetas*

---

o) Notissima Spartae, Argis (Her. VI, 83.) in Chio (Athen. VI. p. 265.) inter servos Laurienses (Athen. VI, p. 272. e.) Soli Cretenses servis nunquam seditiosis utebantur. Arist. Pol. II, 6, 2.

p) An, servos Aeginetarum festis quibusdam diebus per urbem regnasse, ex instituto coloniae ipsorum Cydoniae ap. Athen. VI, 18. p. 263. cf. XIV, 639. b. colligi possit, nescio: sed probabile videtur, cum lex contraria, ne servus ullus adesset, in Neptuni Thiasis (Plut. Quaest. Gr. p. 301.) obtinuerit.

q) Inter proverbia, quae Plutarchi vocant, infima omnium paroemiorum, ita legitur (n. 121. p. 1260. Wytt.)· εἴ τις περὶ πόλιν Αἰγὶς λέγεται· τοὺς ἀνέδην etc., et Xylander Wyttenbachianus sic: *si quae circa urbem insula narratur!*

r) Soloece *Αἰγινεῖς*. De *Aegiensibus* cum Aeginetis permutatis etiam Oudendorp. ad Appulei. Met. I, p. 25. Ita proverbium *Αἰγιεῖς* vel *Μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι* et oraculum illud misere e centonibus compositum: *ἵππον Θεσσαλικήν, Λακεδαιμονίην τε γυναῖκα κ. τ. λ.* in Aeginetas detorsit Erasmus Adag. p. 438. (Sed v. Strab. X, p. 449. Plut. Symp. V, 7. Liban. Soph. Ep. III, p. 531. W. Steph. Byz. s. v. *Αἴγιον*, Zenob. I, 48. Tzetz. Chil. IX, 273, 291. et de Megarensibus Athen. VII, 278. Euseb. Praep. Ev. V, 18. Eust. ad Il. p. 292. Schol. Theocr. XIV, v. 48. Suid. *ὑμ. ὦ Μεγ.* Cf. Suid. Prov. 9, 71. 13, 56. Vatic. App. 2, 82. Larcherus ad Her. V, 63. novo errore in Aegarum incolas refert.) Similiter erravit Steph. Byz. *ὁ πολίτης Αἰγινεὺς ὡς Στράβων, ὡς οἱ πολλοί, Αἰγινήτης* (unde descripsit Zonaras p. 77.), neque audiendus Casaubonus in Comm. ad. Strab. VIII, p. 375. Strabonem correcturus, et ridiculus Golzius, qui loco isto deceptus numos finxit *ΑΙΓΙΝΕΩΝ*. Sed fefellit Stephanum locus Strabonis VIII, 398. ubi inter pagos Atticos inter Sunium et Piraeeum recensentur etiam *Αἰγινεῖς*, ubi neminem editorum fugit *Αἰγιλιεῖς* legendum esse.

ipsorum libertatem tam anxie custodivisse, ut portas, ne noctu hostis improviso in urbem irrueret et inopinatos opprimeret, malleo ingenti ferreo clauderent: qui, si forte portae aperirentur, fragore suo omnes oppidanos e somno suscitatos ad arma vocaret. Neque in tanta Piraeei vicinitate aliter fieri poterat. Et κλειστὸς certe etiam Aeginae portus, ut Cydoniatarum s).

Praestans profecto, quae varium illud vulgus regere et continere posset, civitatis constitutio. Atque celebrat Pindarus O. VIII, 21. Aeginam

ἔνθα Σώτειρα, Διὸς ξενίου πάρεδρος, ἀσκεῖται Θέμις
ἔξοχ' ἀνθρώπων. ὅ τι γὰρ πολὺ καὶ πολλᾷ ῥέπει,
ὀρθᾷ διακρίνειν φρενὶ μὴ παρὰ καιρὸν δυσπαλές.

Quae enim multum et multas in partes nutent, ea recto diiudicare consilio et opportune, perquam esse difficile. Locus valde memorandus. Spectat ad lites emporicas: quas ex verbis nostris fere conicere libet iam apud Aeginetas fuisse menstruas. Idemque poëta Aeginam Nem. IV, 12. δίκᾳ ξειναρκεῖ κοινὸν φέγγος. P. VIII, 23. I. IV, 24. τὰν δικαιόπολιν, τὰν εὔνομον πόλιν appellat; et praeclare carmen illud Isthmiis adiunctum plura passim de Aeginetis obvia unâ colligens,

τὰ μὲν ὑπὸ στάθμᾳ νέμονται
οὐ θέμιν οὐδὲ δίκαν ξείνων ὑπερβαίνοντες. —

Quo facit et antiqua illa apud Hesychium Milesium (p. 12. Meurs.) et Suidam (s. v. Δράκων et πέτασος) narratiuncula: Draconem legibus Atheniensium perlatis Aeginam profectum faustisque populi huius acclamationibus, tantoque favore esse exceptum ut in theatro multitudini petasorum tunicarumque in caput ipsius coniectorum succubuerit, atque sub ipso theatro sepultus sit.

E legibus Aeginetarum alteram, de ollis ex Attica non importandis, supra observavimus; altera, περὶ διαθηκῶν memoratur apud Isocratem λόγῳ Αἰγινητικῷ c. 4. sed non exhibetur. Attamen ex ea oratione quaedam ad ius Aegineticum colligi poterunt: plura forsitan, nisi oratio Isocratis esset. Reus enim, cui orator eam scripserat; Thrasylochus, qui hunc hominem per testamentum adoptarat; mulier, Thrasylochi soror notha, quae litem de hereditate intenderat, genere quidem sunt Siphnii: sed illi duo per turbas civiles exules t) et Aeginae inquilini facti erant.

---

s) Scylax p. 19. Huds.

t) Πάσινος ille c. 9, qui e probabili coni. Πάρον κατέλαβεν (cf. Vatry Hist. Ac. Inscr. XII, p. 181.) dux esse videtur Alexandri Pheraei, O. CIV, 4. Cyclades devastantis. Diod. S. XV, p. 507. Parus tum potentia florebat. Id. XIV, p. 464. d. Cf. Isocr. c. 19, ubi ἐπίκουροι esse videntur Athenienses.

Quo fit, ut causa Aeginae et, quanquam interdum ad leges Siphnias respicitur [u]), Aeginetico iure agatur, Attico certe in plerisque haud dissimili. Ita quae c. 3. de Thrasylocho: ἐπειδὴ πονηρῶς διέκειτο καὶ οὐδεμίαν ἐλπίδα εἶχε τοῦ βίου, παρακαλέσας μάρτυρας υἱόν μ᾽ ἐποιήσατο καὶ τὴν ἀδελφὴν τὴν αὑτοῦ καὶ τὴν οὐσίαν ἔδωκε, fere fiunt ex lege: ἐξεῖναι διαθέσθαι ὅπως ἂν ἐθέλῃ τις τὰ αὑτοῦ, ἂν θηλείας γνησίας καταλίπῃ, ἐπὶ ταύταις. (Petit. L. A. VI, 6. 5.) A consuetudine autem παρακαταβολῆς in litibus de hereditate iam discedere videntur quae Orator c. 1. de patronis mulieris, διὰ τοῦτο οἴονται καλὸν εἶναι τὸν κίνδυνον, ὅτι μὴ κατορθώσαντες οὐδὲν μέλλουσιν ἀποτίσειν. Sed magis principatum optimatum sapit lex de adoptione, quae iubet: parem sui constitui filium, diversa ab Attica, quae civem tantum et hominem liberum poscit. Appono locum c. 5.: κατὰ τοῦτον τὸν νόμον, ὦ ἄνδρες Αἰγινῆται, υἱόν μ᾽ ἐποιήσατο Θρασύλοχος, πολίτην μὲν αὑτοῦ καὶ φίλον ὄντα, γεγονότα δ᾽ οὐδενὸς χεῖρω Σιφνίων, πεπαιδευμένον δ᾽ ὁμοίως αὑτῷ καὶ τεθραμμένον, ὥστ᾽ οὐκ οἶδ᾽ ὅπως μᾶλλον ἂν κατὰ τὸν νόμον ἔπραξεν, ὃς κελεύει τοὺς ὁμοίους παῖδας εἰσποιεῖσθαι [v]).

Quibus liceat et aliud Aeginetarum institutum et hoc cum Atticis commune, χορηγίαν dico, adnectere duobus veterum locis proditum [w]). Alter est Pindari N. IV, v. 77.

πάτραν ἵν᾽ ἀκούομεν
Τιμάσαρχε, τεὰν ἐπινικίοισιν ἀοιδαῖς
πρόπολον ἔμμεναι.

Adestque Herodotus V, 83. de Damia et Auxesia: θυσίῃσί τέ σφεας καὶ χοροῖσι γυναικηΐοισι κερτόμοισι ἱλάσκοντο χορηγῶν ἀποδεικνυμένων ἑκατέρῃ τῶν δαιμόνων δέκα ἀνδρῶν κ. τ. λ. Necdum tamen in hoc loco agnosco liturgiam. Quodsi enim in choros illos, quos fere *Lupercales* dixerim, sumptus pu-

---

u) Ita c. 5. *Λαβὲ δὲ καὶ τῶν Σιφνίων νόμον.* Sed libri omnes *Κίων* s. *Κείων*: quod tueor. Siphnii enim ius Ceum adoptasse possunt. Notissimae horum leges de aqua bibenda, de luctu, de morte praevenienda ap. Heracl. Pont. *Πολ. Κείων.* Cf. Str. X, p. 486. d. Ael. V. H. III, 37. Valer. Max. II, 6, 8. Menand. ap. Steph. Byz. *Ἰουλίς.* Plut. Mul. Virt. 12. p. 26. Wyttb. ubi *Κεῖαι* scribendum est. Cf. Scalig. ad Varr. de L. L. VI, 77. Vinding. 493. Spectant eae quidem omnes ad disciplinam morum; tamen leges Ceas latius patuisse putaverim: sed leges istius modi Graecis memorabiliores videbantur quam quae proprie ad Ius pertinent. De Cearum legum honore Plat. Protag. p. 210, 14 B. (v. Heindorf. p. 577.) Legg. I. p. 206, 2. (cf. Boeckh. in Min. p. 109.) Athen. XII, p. 610. et Plutarch. Demosth. init. *Πρόδικος Κεῖος ἀκριβὴς δικαστής*, Apostol. XVI, 62.

v) Reineccius legem Aeginaeam afferens, *eos multari, ob quos lex ferenda erat*, laudato Arist. Rhet. libro 2, respexit ad hunc locum l, 14, p. 147. Buhle. *ἐν Ἄργει ζημιοῦσι, δι᾽ ὃν ἂν νόμος τεθῇ, καὶ δι᾽ οὓς τὸ δεσμωτήριον ᾠκοδομήθη.*

w) Boeckh. ad l. Pindari et Oec. Ath. III, 1, p. 321.

blice fiebant: vix ii credo inter viginti viros istos distributi essent, praesules duntaxat muliebris saltationis. Verum verba Pindarica, infra videndum est, ne in aliam sententiam converti possint. Neque tamen propterea liturgias, maxime trierarchiam etiam apud Rhodios usitatam, defuisse Aeginetis crediderim, quippe quibus ne Siphnus quidem carere poterat x).

§. 2. Reipublicae gubernatio. Phratriae et tribus.

De ratione, qua Aeginetarum respublica administrata est, non plura dicenda erunt. Erat Aeginae πολιτεία. Apud Aristot. Pol. V, 5, 6. homo perditus Aeginae ἐπιχειρεῖ μεταβαλεῖν τὴν πολιτείαν. Quam in optimatum et procerum manibus fuisse, ex ipsa indole civitatum Doriensium, in qua nobilissimus quisque maxime pollet, colligi poterit. Sed affirmat Herodotus VI, 91. Aeginetarum optimates, narrans, plebem cum Nicodromo seditionem moventem vicisse et castigasse. Neque tamen, quo quis nobilior, eo maior deerat census, comparatus e mercaturis quas nemo ex Aeginetis detrectasse videtur. Ita enim scriptor laudatus (VI, 73), Cleomenem Spartanum ἄνδρας δέκα Αἰγινητέων τοὺς πλείστου ἀξίους καὶ πλούτῳ καὶ γένει, — οἵπερ ἔσχον μέγιστον κράτος obsides abduxisse: eodemque spectat Παχέων nomen, nobilibus ab Herodoto inditum. Accessit quidem in tali civitate ad generis auctoritatem vis divitiarum: sed nulla etiam invidiae plebis et partium magis obnoxia; nulla severiori, tyrannicâ fere, eget cautione: hinc optimatum in plebem seditiosam saeva animadversio. Quos quidem nobiles, non plebem, ostracismum quendam seu petalismum exercuisse, arguit Nicodromus Cnoethi f., ἐν τῇ Αἰγίνῃ ἀνὴρ δόκιμος (VI, 88.), cum plebe adversus optimates insurgens, quippe μεμφόμενος τοῖσι Αἰγινήτῃσι προτέρην ἑωυτοῦ ἐξέλασιν ἐκ τῆς νήσου. Non is optimatibus infensus fuisset, nisi hi eum, aura populari fruentem, ex insula per tempus quoddam relegassent. E Plutarcho contra (Dione 960, a.) ψηφίσματος Aeginetarum, de Atheniense quovis obvio vendendo, mentionem faciente, ad reipublicae tum statum nihil colligere ausim.

Ut vero plura statuamus, ad Epidaurios et Argivos redeundum erit. Regiam inter hosce dignitatem etiam ultra

---

x) Isocr. λογ. *Αἰγιν.* c. 17. Ad verba autem, ἐκ ποίας δ' οἰκίας τῶν ἐν Σίφνῳ πλεῖστοι βασιλεῖς γεγόνασιν; monendum, βασιλέας hos *reges* fuisse *sacerdotes*, dignitatem ex Attica, unde Iones Siphnii venerant (Her. VIII, 48. Nic. Damasc. IV. ap. Vales. 795. Steph. Byz. s. v.) cum sacris Minervae transvectam.

tempora Persica durasse supra vidimus, eam quidem haud dubie intra imperii militaris terminos coercitam neque raro (Plut. Lys. 7, 1. 8.) populi turbatam seditionibus. Accessit regi Senatus (Her. VII, 148.), octogintaque virorum collegium, denique οἱ Ἄρτυνοι, urbani maxime, ut videtur, magistratus. Quos una habemus in foedere Argivorum, Atheniensium, Mantineensium et Eleorum, Olymp. XC, a. 1. icto, apud Thuc. V, 47: Ὀμνύντων ἐν Ἄργει ἡ βουλὴ καὶ οἱ ὀγδοήκοντα καὶ οἱ ἄρτυνοι, ἐξορκούντων δὲ οἱ ὀγδοήκοντα. Quanquam postea Argivi ἅτε ἰσηγορίαν καὶ τὸ αὐτόνομον ἀγαπῶντες ἐκ παλαιτάτου (ita Diod. S. XII, 80.) democratiam instituerunt, et quavis optimatum seditione repressa servaverunt [y]). Simillimus huic Epidauriorum reipublicae status. Nam interrogat Plutarchus Quaest. Graec. §. 1. Τίνες ἐν Ἐπιδαύρῳ κονίποδες καὶ ἄρτυνοι; idemque respondet, οἱ μὲν τὸ πολίτευμα ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατὸν ἄνδρες ἦσαν. ἐκ δὲ τούτων ᾑροῦντο βουλευτάς, οὓς ἀρτύνους ἐκάλουν. τοῦ δὲ δήμου τὸ πλεῖστον ἐν ἀγρῷ διέτριβεν. *Inde a pulvere pedibus adsperso ab oppidano elegantiore κονίποδας dictos esse*, affirmat et Hesychius [z]). Fuisse autem ἀρτύνους istos βουλευτάς, quis Plutarcho credet? conveniunt contra Spartanorum Ephoris, Rhodiorum Prytanibus, maxime Cosmis Cretensium, quorum Protocosmus Locrorum Cosmopolidem refert. — Quae omnia nihil vetat quin ut Argis Epidaurum, ita Epidauro Aeginam tralata esse censeamus.

Iuvat autem in illo Atheniensium cum Argivis, Mantineensibus, Eleis foedere consistere. Mantineae, legitur, ὀμνύντων οἱ δημιουργοὶ καὶ ἡ βουλὴ καὶ αἱ ἄλλαι ἀρχαί· ἐξορκούντων δὲ οἱ θεωροὶ καὶ οἱ πολέμαρχοι. Quos theoros, quis ibit infitias, esse magistratus, eosque diversos a legatis illis peregre sacras pompas ducentibus? Neque enim Mantineae sacrum fuisse sciam, ad quod theori aliunde mitti solerent; nec si fuisset, ab his theoris cives iuri iurando adigi fuisset fas; quos ipsi vero ablegarant theoros, iis quae in urbe munera esse potuerint, haud dispicio. Aberant illi nimirum sacrorum causa: hi adsunt. Ad haec Harpocration et Suidas; Θεωροὶ μέντοι λέγονται οὐ μόνον οἱ θεαταί, scribunt, ἀλλὰ καὶ οἱ εἰς θεὸν πεμπόμενοι. καὶ ὅλως τοὺς τὰ θεῖα φυλάττοντας ἢ φροντίζοντας οὕτως ὠνόμαζον [a]). Ne-

---

y) Cf. Ubbo Emm. de Rep. Argiv. p. 191. Vinding. Hellen. p. 34. sq. Manso Sp. II, 432.

z) s. v. κονιορτόποδες, ἐργάται, ἀγροῖκοι. Et cf. s. v. ἄρτυνος ἄρχων.

a) Eadem Ammonius s. v. Etym. M. 418, 42. Phot. p. 71. Zonaras p. 1082. etc. Quae verba Valckenarius Animdv. ad Amm. II, 3, aliique semper adhuc silentio transmiserunt.

que id temere dictum. Nam sic Aristoteles Pol. V, 8, 3: *multos olim e magistratibus tyrannos factos esse*, τὸ γὰρ ἀρχαῖον οἱ δῆμοι καθίστασιν πολυχρονίους τὰς δημιουργίας καὶ τὰς θεωρίας. Quo vero modo diutino munere fungi potuissent, qui nonnisi ad certa sacra missi sunt: id velim apposuisset Aristoteles. At vero hoc theororum munus diuturnum atque urbanum, ut Mantineae, ita etiam Aeginae servatum esse, ostendit Scholium in Pind. N. III, 119. ὅτι ἐν τῷ Πυθίου Ἀπόλλωνος ἱερῷ οἶκός ἐστι καλούμενος θεάριον διὰ τὸ τοὺς ἄρχοντας, οἳ καλοῦνται θεωροί (dor. θεαροί), ἐνταῦθα διαιτᾶσθαι. Idemque adeo evincit ipse poëta (v. 66.)

καὶ σεμνὸν ἀγλααῖσι μερίμναις Πυθίου Θεάριον [b]).

Ergo certum est, theororum olim pontificalem ferme auctoritatem (nam pontificum instar, sacrorum et legislationem et iurisdictionem tenuisse videntur), ab Atheniensibus quidem, sacrorum et profanorum novatoribus, aeque ac demiurgias magnopere imminutam, a Doriensibus autem diutius esse servatam [c]).

Theoris postremum adde e Plutarcho (Themist. c. 19.) Πολίαρχον, praefectum urbis, ab Aeginetis, ut Athenienses muros struentes accusaret, Spartam missum, magistratum, ut reor, securitati publicae custodem [d]).

Quibus, videndum est, an forte complementum accedat e decreto hocce Aeginetico. Debemus et id, exhibendum mihi liberalissime concessum, incomparabili Fourmonti Fortunae [e]). Est hoc:

---

b) Apollinis *Thearii* templum Troezenium vetustissimum exhibet Paus. II, 31, 9. cf. Gell. Argol. 121. Messenii detulerunt theororum, quos pontifices dicimus, potestatem Naupactum. Laudamus inscriptionem ap. Cyriacum P. VII, n. 59. Naupactiacam

ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΘΕΑΡΟΙΣ ΑΗΣΕΤΩΝΟΣ κ. τ. λ.

Cf. n. 60. Quae tantum ad nostrum theororum genus trahi possunt.

c) Neque ego video, cur θεωρὸς a θεὸς et ὥρα ineptius derivetur quam ὑλωρὸς ab ὕλη et ὥρα. Vox θεωρεῖν inspiciendi sensu, ubi nihil de oraculis vel sacris, semel primum occurrit apud Thucydidem Atticum. Significatio autem sacra et θεωρεῖν et θεωρὸς tam propria est, ut de θείοις cogitare magis libeat, quam θέᾳ. Homero omnis ea verborum stirps ignorata est.

d) Similis fortasse *Πολιάνομος* Heracleensis. V. Mazochi. p. 205. etc. — Nomen viri proprium *Πολίαρχος*, quod Bredovius inde effecit, loco nostro minus aptum est. Cf. Pind. N. VII, 85. Neque πολέμαρχον corrigendum videtur.

e) Repertum Aeginae in Aede Beatae Virginis dicta *Βιολου*.

ΠΟΛΙΣΔΙΟΔΩΤΟΝ..ΡΑ
ΑΠΟΣΥΝΕΔΡΩΝΚΑΙΤΟΥΔΑΜΟΥΕ
ΤΩΝΠΟΛΙΤΑΙΔΙΟΔΩΡΟΣΗΡΑΚ
ΚΑΤΑΣΤΑΘΕΙΣΑΓΟΡΑΝΟΜΟΣ
ΤΑΡΤΟΝ...Ε ΗΚΟΣΤΟΝΕΤΟΣΤΙ
ΜΕΛΕΙΑΝ ΣΠΟΙΗΤΑΙΤΑΣΑΡΧΑΣΑ
ΕΓΧΕΙΗΣ . . . ΑΥΤΩΙΥΙ ΟΤΟΥ
ΠΙΣΤΙΟΣ . . . ΩΝΙΚΟΥΚΑΤ
ΙΕΝΟΥΕΙΣ . . . ΗΡΑΣΟΙΟΝΟ
ϽΛΕΜΟΝΕ . . . ΤΕΡΑΤΑΝΕΠΙ
ΚΑΚΑΤΑΤΡΕΧ . . ΝΤΑΝΧΩΡΟΝΑΝ
ΕΑΣΟΥΣΑΣΣ . . ΙΕΙΣΕ ΟΙΛ
ΑΡΧΩΝΙΚΑΝΟΝΣ . ΙΙ Ρ
ΤΟΝΧΡΟΝΟΝΤΟΥΣΔΕΟΜΕΝΟΙΣΔΕ
ΓΟΝΩΝΓΟΤΙΤΟΝΔΑΝ
ΔΥΝΟΝΟΥΔΣΒΛΑΒΑΛΟΥΔΕ..Λ
ΑΛΛΑΠΕΡ . . ΙΔΕΙΣΤΟΥ . . Μ
ΜΦΕΡΟΝΤΟΙΣΠΟΛ . . . ΠΟΥ
ΧΟΥΣΕΝΕΝΔΕΙΓΩΝ . ΤΩΙΒΙ
ΠΟΤΙΦΕΡΕΤΑΙΦΙΛ . ΝΩΙΩΠΩΣ
ΔΑΜΟΣΦΑΝΕΙΡΟΣ . . ΟΙΣΕ
ΗΜΩΝΤΟΥΣΑΓ . . ΑΡΙΣ
ΚΑΤΑΞΙΟΣΤ . . . ΟΧΟΑΙ
ΣΚΑΙΤΩΔΕ . . . . ΣΑΙΔΙ
ΚΛΕΙΔΑ . . . .
ΑΙΕΧΩΝΔΙΑΤΕΛΙ . . . . Ο
ΦΑΝΩΣΑΙΑΥΤΟΥ . . . . ΣΩΙ
ΡΥΣΩΝΕΚΑΤΟΝΤΟΔΕΓΕΝΟ
ΔΟΤΩΟΤΑΜΙ . . . . ΚΑ
ΤΕΦΑΝΟΝΕΙΝΤ . . . ΤΟΙΣ
ΕΙΟΙΣΚΑΙΒΩΜ . . Σ ΙΘ
ΕΥΠΟΛΛΩΝΚ . . ΡΩΜ
ΜΕΛΗΤΑΣΣΤΑΛΑΝΔΙΟΝ
ΗΣΕΤΑΙΤΟΔΕΤ . ΕΙΣ
ΤΑΙΕΙΣΤΟΝΕΠΙΦΑΝΕΙΣΤΑ
ΟΛΙΟΣΠΑΡΑΤΟΑΠΟΝΟΜΟ
ΝΟΝΑΝΑΛΩΜΑΔΟΤΩΟ

Latitudine marmoris in triginta ad triginta quattuor litteras constituta, lacunas supplevi; quae coniectura verisimili assequi non poteram, temeraria. Quibus autem interdum litterarum vestigia parum pressisse videar, ii adnotent, Fourmontum in lapidibus saepe plura, saepe alia vidisse, quam apparebant. Num enim dubium esse potest, ΦΙΛ — ΝΩΙΩΠΩΣ nihil aliud esse, nisi ΦΙΛΑΝΘΓΩΠΩΣ? Qua observatione maxime in litteris lacunae cuidam contiguis libere utendum erit. En igitur:

Ἁ πόλις Διόδωρον Ἡρακλείδα ἐπαινεῖ ἀπὸ συνέδρων καὶ τοῦ δάμου. Ἐπειδὴ ἀπὸ τῶν πολιτᾶν Διόδωρος Ἡρακλείδα κατασταθεὶς ἀγορανόμος τὸ τοῦ βίου τέταρτον καὶ ἑξηκοστὸν ἔτος, τὰν ἐπιμέλειαν πεποίηται τᾶς ἀρχᾶς ἁπάσας, ἐγχειρισάμενος πάντων [φιλοτίμως καὶ] μετὰ πίστιος, καὶ τοῦ ἀγωνικοῦ f) κατ᾽ Αἰακὸν γενομένου εἰςέφερε στατῆρας ὀγδώκοντα, καὶ διὰ πόλεμον ἐπὶ τὰ ἁμέτερα [τῶν Ἐπιδαυρίων] κατατρεχόντων, τὰν χώραν ἀναπρηθόντων καὶ τὰς οὔσας σιτήσεις ἐξολλύντων, ἀγαθὸς ἄρχων ἱκανὸν σῖτον παρέχων πάντα τὸν χρόνον, τοὺς δεομένους δεδιαίτακε, φιλοπονῶν ποτὶ τὸν δᾶμον τὸν Αἰγινητῶν οὐδὲ κίνδυνον οὐδὲ βλάβαν οὐδεμίαν φεύγων ἀλλὰ περὶ πλείστου ποιούμενος τὸ συμφέρον τοῖς πολίταις, μετὰ σπουδᾶς πάσας οὐδὲν ἐλλείπων ἐν τῷ βίῳ ἅπαντι ὅ τι ποτιφέρεται φιλανθρωπῶς· ὅπως ὁ δᾶμος φανειρὸς g) ᾖ τοῖς ἐπιδαμοῦσι παρ᾽ ἡμῶν τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας καταξίως τιμῶν, δεδόχθαι τοῖς συνέδροις καὶ τῷ δάμῳ ἐπαινέσαι Διόδωρον Ἡρακλείδα ἐπὶ τᾷ εὐνοίᾳ καὶ τᾷ ἀνδραγαθίᾳ ᾇ ἔχων διατελεῖ ποτὶ τὸν δᾶμον, καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν στεφάνῳ χρυσῷ δραχμῶν χρυσῶν ἑκατὸν h), τὸ δὲ γενόμενον ἀνάλωμα δότω ὁ ταμίας, καὶ ἀνακαρῦξαι τὸν στέφανον εἰν τῷ θεάτρῳ τοῖς ἐφεξῆς Αἰακείοις καὶ βωμὸν σταθῆναι [τῷ . . . . Ἀπόλλωνι] καὶ τοῦ βωμοῦ τοὺς γενομένους ἐπιμελητὰς στάλαν λιθίναν ποιῆσαι, ἐφ᾽ ᾇ ἀναγραφήσεται τόδε τὸ ψάφισμα, αὐτὰ δὲ ἀνατεθήσεται εἰς τὸν ἐπιφανείστατον τόπον τᾶς πόλιος παρὰ τὸ Ἀπόλλωνος, τὸ δὲ γενόμενον ἀνάλωμα δότω ὁ ταμίας.

---

f) Verbo desidero auctoritatem. At inscriptiones multa praestant aliunde ignota.

g) Religioni habui, quin haec vestigia dialecti peculiaris oblitterarem. Nam ter occurrit ε in ει dilatatum. φανειρός l. 21. εἰν 31. ἐπιφανείστατος 35.

h) Corona satis magna est. Cf. Boeckh. Oecon. Ath. I, 5. p. 29.

Hoc ex decreto praeterquam quod ταμίαν et ἀγορανόμον in Aegina fuisse cognoscitur, et hunc quidem ampla, ut videtur, dignitate praeditum [j]): id quoque patet summam potestatem certe sub Achaeorum foederis tempora (in quae ut decretum nostrum referamus, etiam dialectus Dorica iam fere evanida suadet) fuisse apud populum et συνέδριον, collegium optimatum, quale Massiliae, Agrigenti, etiam Syracusis, priusquam ab Agathocle everteretur, et in omnibus fere Peloponnesi oppidis Philippi aetate fuerat [k]); Aeginae fortasse ortum ex Argivorum Octogintaviris.

Inde ad ipsum populum transeuntes in gentibus illis haeremus, quas Pindarus modo Φρατρίας modo γενεάς, Scholia et Interpretes perperam interdum Φυλὰς appellaverunt. Nuncupantur *Midylidae* a Midyla viro inter Aeginetas claro oriundi [l]), *Theandridae* [m]) *Bassidarum* παλαίφατος γενεά [n]),

---

j) Nam Agoranomi Atticorum haud magis erant quam Doriensium, atque maxime cum Graecia libertatem amisisset, inter honorificentissima rerum publicarum munera habiti esse videntur. Agoranomum Lytti novimus Protocosmum, Argivorum Helladarcham. Gruter. 1094, 5. Maffei. Mus. Veron. p. 43. Hinc decretorum de Agoranomis coronandis magna superest copia. Spartana sunt inter Fourmontianas, Taenari ap. Reines. Inscr. VI, 122. p. 458. Corinthi Mus. Veron. p. 39. Megaris Pococke Inscr. Ant. P. 1, 5, 7. p. 63. Gortynae Gruter. 1099, 7. in Co Clarcke Itin. T. II, 1. p. 201. Parii Id. II, 2. p. 403. Smyrnae Marm. Oxon. 73. n. 37. cf. p. 83. n. 49, 1. 85. n. 49, 2. Consimilia nostro sunt Astypalaeensia in Sched. Villois. cf. Proll. ad Il. LV.

k) Gruter. p. 401. Philippi epist. ap. Demosth. de Cor. p. 280. Str. IV, 179. c. Ubbo Emm. p. 346. 217. cf. Isocr. Areopag. c. 24. Proprium autem idem nomen iam dudum civitatum erat societatibus, ut Graecorum sub bellum Persicum, sociorum Atticorum, Ionum Deli et Teni (ut in inscript. Tenia), Amphictyonum Pylarum etc.

l) Schol. ad P. P. VIII, 40. s. 53. φρατρία ἐν Αἰγίνῃ Μιδυλιδῶν ἀπὸ Μιδύλου προγόνου ἐπιδόξου γενομένου. καὶ ἐν ἄλλοις αὐτός· Μιδυλίδου δ' αὐτῷ γέννα. Cf. Schneider. Fragm. p. 104.

m) N. IV, 73. Schol. v. 118. H.

n) N. VI, 32, οἶκος 26. πάτρα 36. Schol. ad v. 53. 42. 59. Ergo Bassus etiam nomen Graecum est. Iam cogita de Basso Heraclida, quem ut videtur civem suum, sed magnae apud Romanos imperatores auctoritatis, Epidaurii decreto honoraverunt exhibito a Paciaudio Mon. Pelop. II, p. 7.

ΑΛΚΕΙΔΟΥ ΒΑΣΣΟΝ ΓΕΝΕΗΣ ΕΡΙΚΥΔΕΑ ΦΩΤΑ
ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ΔΗΜΟΣ ΝΑΕΤΑΙ ΖΑΘΕΗΣ ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ.

Qui ita ab heroibus deducuntur: certe cum Romanis Graeca nomina coniungere solent. Tib. Claud. Aristocrates ἱερεὺς καὶ ἀπόγονος Ποσειδᾶνος in Fourmontiana, Statilius Lamprias ἀπόγονος Διοσκούρων ap. Paciaudium, Perraro sic. M. PETILLIVS M. L. HERACLIDA, in olla ap. Malvas. Marm. Felsin. S. 9. c. 2, p. 550.

Euxenidae [o], *Chariadae* [p], *Psalychidae* [q], denique *Blepsiadae* [r]. Itaque occurrunt in septem lyrici carminibus septem huiusmodi phratriae, argumento satis perspicuo, ad refellendum quemque, qui Theandridarum Nem. IV, 73. tribum significari putaret. In quos quae monuit Editor Pindari (ad N. IV, 77.): ea non est quod argumentis pluribus firmemus. Sunt vero omnia ista nomina patronymica: idque certum phratriarum indicium. Namque veteres et Ionum et Doriensium tribus, etiamsi heroum nomina, ut Hylli, Dymanis, Hopletis, Teleontis adinventa sunt, longe tamen absunt a forma patronymica; quippe cum ex heroibus istis totas tribus non denominationem solum, sed etiam originem traxisse, ne temerarius quidem fabulator fingere potuisset: at vero Atticas recentiores, ut Αἰαντίς, Πανδιονίς, inter veteres scriptores ante Plutarchum in patronymica, Αἰαντίδης, Πανδιονίδης, haud meminerim unquam abiisse. Sed in phratria et opinio popularis et nominis natura heroem non eponymum tantum, sed ipsum principis certe in ea gentis conditorem postulabat [s]. Sicut autem Bassidae, modo οἶκος modo γενεὰ modo πάτρα appellati, gentem nobilem constituebant, quae minoribus pluribus nomini suo adiunctis in phratriam aucta erat: ita omnino e gentibus maxime apud Dorienses phratriae ortae esse videntur: neque igitur etiam inter Aeginetas phratriam plures gentes complecti potuisse negaverim. Ac sane inde mihi explicandus videtur Pindarus N. VIII, 46. σεῦ δὲ πάτρα Χαριάδαις τε, ita quidem, ut πάτρα phratria sit Chariadarum, Χαριάδαι autem gens ipsius eponyma, Ἐτεοχαριάδαι ut ita dicam, e quibus ipse victor exstitit.

Habebant autem Aeginetae quippe Dorienses tres tantum aut quattuor tribus. Ac fuisse inter eas, consentaneum est, primum tres illas, Ὑλλεῖς, Δυμᾶνας, Παμφύλους, erant enim eaedem Argivorum [t]), allatas etiam in appendicula illa Pindaricorum

σὺν θεῶν δέ νιν αἴσᾳ
Ὕλλου τε καὶ Αἰγιμιοῦ
Δωριεὺς ἐλθὼν στρατὸς ἐκτίσσατο.

---

o) πάτρα N. VII, 70. Schol. v. 103.

p) N. VIII, 46. Schol. v. 19. 80.

q) I. V, 59. Schol. VI, 19. H.

r) O. VIII 79. Schol. v. 97.

s) Hinc πάτρα et γένος olim idem Il. N. 354. Horus in Etym. M. φρατρία ἀφ᾽ ἑνὸς καὶ εὐγενοῦς ἀνδρός. Dicaearch. ap. Steph. s. v. πάτρα — ἀπὸ τοῦ πρεσβυτάτου καὶ μάλιστα ἰσχύσαντος ἐν τῷ γένει τὴν ἐπωνυμίαν ἔχουσα.

t) Her. V, 86. Steph. Byz. Ὑλλεῖς.

Inquo hanc sententiam accedit Hesychius Ὑλλέες ἐν Κυδωνίᾳ [u]), quem adduxit quidem Meursius [v]) sed e more suo nihil addidit. Apparet autem, etiam Cydoniae fuisse Hyllenses, certe nec Cydonum nec Samiorum nec Zacynthiorum tribum, nam nulli ex his erant Dorienses, sed haud dubie Aeginâ tralatos. Fieri immo potuit, ut solis ex Hyllensibus Aeginaeis coloni Cydoniam mitterentur: perinde ut Dymanes Troezenii Halicarnassum condidisse traduntur [w]). His autem apud Aeginetas, ut in quavis fere Doriensium civitate, tribus quarta addita est eaque incolarum antiquiorum. Quae Sicyone dicebatur *Aegialensium*, profecto non de filio Adrasti Aegialeo (ut quidem Herod. V, 68.) sed de Pelasgis Aegialensibus denominata, apud Argivos vel Epidaurios, fortasse apud utrosque, *Hyrnethia* (apud illos in piaculum apud hos in luctum Temenidos [x])); ac fortasse eodem nomine in Aegina. Unam eius gentem fuisse coniicio Budidas, quippe quos Didymus ad N. VI, 53. (ceterum ineptiens eo loco) e Pythaeneti Aegineticis ut a Budione, heroe Pelasgo, oriundos adduxit.

§. 3. Gymnastica. Urbis designatio.

Id quidem quo omnium illarum gentium nomina nobis innotuerunt, studium est rerum athleticarum. Quod cum fovebatur ludis Aeginetarum patriis, qui cum Aeaceis, Delphiniis, Heraeis coniuncti erant [y]): tum incrementa ca-

---

u) Ita corrigo cum Is. Vossio pro Ὑλέες.

v) Creta c. 8. Opp. T. IV, p. 365.

w) *Αὐτὸς δὲ ὁ Ἄνθης ἐκ Τροιζῆνος μετῴκισε λαβὼν Δυμάνων φυλήν.* Callimachus ap. Steph. s. v. *Ἁλικαρν.* Qui locus rationibus c. II, §. 1. p. 41. 42. prolatis insigne addit argumentum, ipsarumque tribuum Doricarum ad fabulosissima tempora tralatarum memorabile exemplum.

x) Steph. Byz. *Δυμᾶν, φῦλον Δωριέων. ἦσαν δὲ τρεῖς· Ὑλλεῖς καὶ Πάμφυλοι καὶ Δυμᾶνες ἐξ Ἡρακλέους, καὶ προσετέθη ἡ Ὑρνηθία.* Ita scribo. Cf. Vales. Emend. I, c. 32, p. 38. Burm. En vero. Inter Fourmonti inscriptiones Argivas lucem videbunt, in quibus tum *Α ΦΥΛΑ ΤΩΝ ΥΛΛΕΩΝ* tum *Α ΦΥΛΑ ΤΩΝ ΥΡΝΑΘΙΩΝ* apparet.

y) De ludis *Aeaceis* Pind. N. V, 42. Schol. ad O. VII, 156. De *agone ἀμφορίτῃ* et ὑδροφορίᾳ supra (c. 1. §. 6. p. 24.) diximus. De ludis gymnicis in *Delphiniis* Pind. P. VII, 68. Schol. ad l. v. 88. De certamine in *Heraeis* P. P. VIII, 82. Schol. ad l. Erat is ἀγὼν χάλκεος, repetitus ab Argivorum *Clypeo*. O. VII, 83. N. X, 23. Cf. Spanh. ad Call. in Pall. v. 35. p. 646. Adierunt Aeginam horum causa Diagoras Rhodius O. VII, 86, Telesicrates Cyrenaeus P. IX, 93, Xenophon Corinthius O. XIII, 105, et huius popularis Nicoladas ap. Simonidem fragm. 71. p. 381. Gaisf. Cf. Sch. ad O. VII, 155. N. V, 78. 94.

piebat ex Epidauriorum Aesculapiis, Megarensium Alcathois, Thebanorum Iolais, Atheniensium Panathenaeis z): ex quibus Aeginetae in Olympia, Pythia, maxime Nemea et Isthmia cursus, luctae, pancratii palmas reportatum prodierunt. Quare iam Peleus Aegineta Pythia disco vicisse et quinquertium invenisse dicebatur a); Aeginaeque iuventus, ut quidem Pindarus P. VIII, 27. ait

πολλοῖσιν ἀείδεται νικαφόροις ἐν ἀέθλοις,

ipsum denique proverbium ferebatur

τὰ πρῶτ' ἀρίστους παῖδας Αἴγιν' ἐκτρέφει b)

quod pessime nimirum intellexerant Eustathius et Suidas (III, p. 431. Kuster.) qui ridicule ἐν ἀκμῇ γὰρ, scribunt, μεταβάλλουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον οἱ Αἰγινῆται. Iam ante Olympiadem XLV, puto, pugilatu excelluit Agesimachus Bassida; nepos ipsius erat Praxidamas, quinquies in Isthmo, ter in Nemeis victor, primus Aeginetarum Olympionices et qui inter primos, quantum Pausanias scit, statuam Olympiae dedicavit, athletarum sui temporis nobilissimus c). Hinc maxime sub bella Persica gymnastice Aeginetarum eo evecta est, ut eiusdem Bassidarum stirpis quinta et vigesima memoraretur palma (N. VI, 60.), et quaevis fere Olympias victorem Aeginetam retulerit, atque quo quis nobilior, eo maiori laude in hoc virium certamen descenderet. Nam si Eustathio fides habenda est, ipse Crius Polycriti f. athleticam exercuit: longe aliter, quam apud Athenienses fieri solebat, quorum Eupatridae nisi curru vel celete Olympia vincere dedignabantur d).

---

z) P. VIII, 82. sq. N. III, 80. IV, 19. 23. V, 46, 52. I. VII, 67, 68.

a) Schol. in P. I. arg. N. VII, 16. Eust. ad Od. Δ, 505.

b) Eust. ad. Il. B, 562. Apostol. XVIII. 9. p. 233. Prov. Vatic. IV, 13. Habet ex his, sed mutilum, qui dicitur Plutarchus Prov. 106. p. 1273. Wytt. Erasm. Adag. 570. b. Neque deerant egregii aliptae, gymnasticae magnum praesidium, ut Menander Atheniensis et Melesias. O. VIII, 54. sq. N. IV, 93. V, 48. VI, 68.

c) N. VI, 17. sq. Paus. VI, 18, 5. Haec est gentis series. *Agesimachus* — *Soclidas* — *Praxidamas* — *Theon* — *Alcimidas*, sed Soclidas et Theon a re athletica abstinuerant. Propinquus Alcimidae *Callias* dicitur Creontis f. v. 35. Schol. 59. Corsini D. A. p. 192. 200. 211. 213. De *Timida* v. 64. — Vides ceterum, nomen non semper ab avo ad nepotem transire. Idque, quanquam moris erat Atticorum, apud Dorienses omnino rarius reperitur, ut tamen in his: Crius — Polycritus — Crius.

d) Ol. 75, 3. vicisse videtur *Cleander* Telesarchi I. VII, 4. 66. Ol. 76, 3. *Phylacides* Psalychida. Olympiadis 79. victor est *Pherias* brevi ante ob imbecillitatem exclusus. Paus. VI, 14, 1. Cors. D. A. p. 189. F. A. III, 195. 79, 3. *Sogenes* *Thearionis* Euxenida N. VII, 10. 70. Cors. D. A. p. 70. 219. F. A. 196. 80. *Alcimedon*

Ne vero nominibus victorum immoremur, unius tantum gentis mentio nobis brevi facienda erit. Psalychidarum dico εὔαθλον γενεάν (I. V, 3). Lampon enim, quem sub proelii Salaminii tempus vixisse, ipse Pindarus arguit [e]), tum Cleonico ipsius, tum Themistio uxoris suae patre et Euthymene eiusdem fratre, tum filiis suis Pythea et Phylacida, omnibus pancratii studiosissimis, insigniter laudatur [f]). Quae si viri et aetas et genealogia cum iis comparatur, quae supra de Lampone Pytheae filio, Ischenoi nepote dicta sunt: mirum videretur, nisi Lampon Herodoteus Pytheae filius, Pindarique Pytheae pater idem esset. Quibus tamen adversatur Cleonicus, Lamponis apud Pindarum pater, nisi forte Pytheam Herodoteum Lamponis adoptivum patrem dicemus; quibus suffragaretur et alia ratio. Non enim Pytheas, credo, Salaminiae pugnae tempore tantopere valuisset, si nepos ipsius naturalis non multo tempore postea (idque commonstrant poetae verba I. IV, 54) pancratio fuisset victurus. — Quae utut se habent, nam nihil adseveramus, vide tamen, quae protulerit Larcherus (ad Herod. IX, 77. T. VI, p. 140.): *En habes*, ait, *familiae Lamponis hanc genealogiam. Cleonicus — Lampon — Pytheas eiusque frater Phylacides — Pytheae filius Lampon, de quo loquitur Herodotus.* Lampon autem tempore proelii Plataeensis, ut Herodotus IX, 78. ait, Αἰγινητέων τὰ πρῶτα, tum certe vir triginta ad minimum annorum esse debebat. Larcherianus autem pater Lamponis, Pytheas Pindari, cum Nemea vinceret, οὔπω dicitur (V, 6.)

γένυσι φαίνων τέρειναν ματέρ' οἰνάνθας ὀπώραν.

Necesse igitur e victoria Pytheae usque ad pugnam Plataeensem circiter quadraginta annos effluxisse. Quo iam delabimur! Scilicet nihil certius, quam Pindarum, qui

---

Blepsiada Ol. VIII, 17. 80, 3. *Aristomenes* Xenarcis Midylida, de quo infra. Idem in tempus incidunt palmae *Nicoclis*, Cleandri avunculi, I. VII, 62. 64, Chariadarum *Megae* atque *Dinidis* N. VII, 16. Cors. D. A. 215. 217, Blepsiadarum *Iphionis, Callimachi, Timosthenis* O. VIII, 15. 70. 76. 81. Cors. p. 162, Midylidarum *Clitomachi, Theognetique*, Cors. p. 197. 222. F. A. III. p. 211, *Aristoclidae*, filii Aristophanis N. III, 22. 80. Cors. D. A. IV, 9. p. 129. Theandridarum *Timasarchi* atque *Calliclis*, N. IV, 76. 80. 86. denique *Taurosthenis* celebris Olympionicae, de cuius spectro victoriae nuntio Paus. VI, 9. 1. columba ἀγγελιαφόρῳ Ael. V. H. IX, 2. Solus superest Ἀγαθόπους Ἀπιvίτης Iulio Africano teste Olymp. 238. et 239. stadio victor: ubi Scaliger (Ἀναγρ. p. 222. 346.) Αἰγινήτης, Corsinus F. A. III, p. 182 Ἀπυρίτης, equidem ex horum temporum canone substituo *ΑΙΓΙΝΙΤΗΣ*.

e) I. IV, 54. Monendum etiam, Scholion ad I. VII, 37. ibi illaticium et huc referendum esse, Cf. Cors. F. A. II, 63.

f) N. V, 1. 5. 41. 50. Sch. 78. 91. I. V, 3. 14. 58. 61. Sch. 1. 85. I. IV, 19. 54. 62. 66.

proelii illius tempore quadragenarius erat, carmen Nemeum quintum in cunis cecinisse. Ista est Larcheri saepenumero levitas.

Certamina gymnica ut per totam Graeciam vitam liberaliorem artiumque praestantissimas, dici non potest, quantum extulerunt: ita etiam Aeginae his subsidiis et statuaria crevit et poësis.

> Πόλιν φιλόμολπον δορικτύπων Αἰακιδᾶν

celebrat Pindarus, ipse victoriis rite celebrandis persaepe conductus. Quo apprime facit carmen illud, corollarium tanquam carminum Aegineticorum: οἷοι δ᾽ ἀρεταν

> δελφῖνες ἐν πόντῳ ταμίαι τε σοφοί
> Μοισᾶν ἀγωνίων τ᾽ ἀέθλων·

quod fragmentum e Pindaricis compilatum tantum esse, iam ob haec verba persuadere mihi non potui. E poetis lyricis, qui inter Aeginetas ipsos exstiterunt, a Pindaro duo memorantur, uterque Theandrida, alter Timocritus, de quo N. IV, 13: *o Timasarche,*

> εἰ δ᾽ ἔτι ζαμενεῖ Τιμόκριτος ἀλίῳ
> σὸς πατὴρ ἐθάλπετο, ποικίλον κιθαρίζων
> θαμά κε, τῷδε μέλει κλιθεὶς
> ὕμνον κελάδησε καλλίνικον·

alter Euphanes. Ita enim poëta de Callicle, Timasarchi avo materno v. 89.

> τὸν Εὐφάνης ἐθέλων γεραιὸς προπάτωρ
> σὸς ἄεισέν ποτε, παῖ.

Adeoque apparet, Theandridas gentem fuisse poetarum lyricorum quales tum credo quaevis Doriensium civitas progenuit; iamque probabile, etiam illa verba: *ubi gentem tuam audimus, Timasarche, epiniciis ministram esse*, eam Theandridarum indolem spectare.

His unum addimus Plutarchi (in Demost. 846. c.) locum: γελοῖον εἴ τις οἴοιτο, τὴν Ἰουλίδα καὶ τὴν Αἴγιναν ὑποκριτὰς μὲν ἀγαθοὺς τρέφειν καὶ ποιητάς, ἄνδρα δ᾽ οὐκ ἄν ποτε δύνασθαι δίκαιον προενεγκεῖν. Illa ad poetas Ceos, haec ad Polum respicere videntur. Etenim de Archia φυγαδοθήρα idem scriptor (p. 859.) τοῦτον Θούριον ὄντα τῷ γένει λόγος ἔχει τραγῳδίας ὑποκρίνεσθαί ποτε, καὶ τὸν Αἰγινήτην Πῶλον τὸν ὑπερβαλόντα τῇ τέχνῃ πάντας ἐκείνου γεγονέναι μαθητὴν ἱστοροῦσι. Eundem puta ac illum Gellii (N. A. VII, 5.) ob filii sui cineres in scena pro Oresteis adhibitos laudatum, eundemque Luciani Polum Chariclis f. Suniensem, ab Atheniensibus, ut videtur, pago semper civibus novis scatenti accitum g). Scriptores

---

g) Cf. Plut. II, p. 785. b. Siebel. Philochor. p. 85. Fabric. Bibl. Graec. II, p. 318. Componitur Polus cum Satyro et Aristodemo, om-

inter Aeginetas quanquam seriori aevo non defuerunt, nuncupo hic *Onesicritum* Cynicum [h]), *Clitarchum* lexicographum [i]), *Paulum* medicum: isti tamen omnes a tempore florentis Aeginetarum reipublicae longe absunt. Ad nostra magis pertinerent Asclepiadae, si certa eorum apud Aeginetas vestigia reperiri possent. Nam verba Aristophanis, Vesp. 121.

ὅτε δὴ ταύταις ταῖς τελεταῖς οὐκ ὠφέλει
διέπλευσεν εἰς Αἴγιναν, εἶτα συλλαβὼν
νύκτωρ κατέκλινεν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ.

recte intellecta, irrident incubationem Epidauriam. Erat tamen Asclepieon Aeginae, colonia Epidaurii: et aestimationem artis medicae apud Aeginetas probat locus Herodoti (III, 131.) *Democedem medicum, cum Crotone aufugisset, statim Aeginam profectum hic domicilio constituto, cum primo anno omnes in ea arte principes superasset, altero ab Aeginetis publice conductum esse talento.* Ac fortasse in ipso *Paulo* Aegineta, quamvis infimae aetatis, homine περιοδευτῇ et ἱεροσοφίστῃ, etiamsi Alexandriae doctrinam auxit, medica tamen Epidauriorum et Aeginetarum disciplina agnoscitur, maxime cum mos incubationis in barbara usque saecula duraverit [k]), gentiumque medicarum auctoritatem ad ultima tempora mansisse satis constet [l]).

Vitae Doriensis omnino singularem quendam modum in Aegina et inter Aeginetas oriri necesse erat. Iam enim in insulis populorum indoles acrius excitatur et ad maiora enutritur [m]): quemadmodum autem nationum ingenia cum locorum conditione consentiunt, ita Doriensi placuit vita mon-

---

nes, ut Lucianus solet, e Demosthenis aevo repetiti. Luc. Necyom. 16. Ἀπολ. μισθ. 5. Ζ. τραγῳδ. 3. 41. Qui loci comparati refutant Ionsium de Scr. A. Rhet. II, c. 11. p. 169.

h) Alexandri historiographum. Alii Astypalaeatam dicunt. V. St. Croix Exam. des histor. d'Alex. p. 38.

i) Αἰγινίτης, Epaphrod. Hypomn. II. Θ ap. Etym. M. s. v. Γάργαρος. Laudatur ab Athenaeo, Proclo ad Hes. O. e. D. II. Tz. Chil. VII, 100. X, 386. Phot. Lex. Σαρδον. γελ. p. 300. ceterisque Lexicographis. Meursius (Opp. T. 3. p. 1227.) cum nostro auctorem τῶν περὶ Ἀλέξανδρον ἱστοριῶν confudit.

k) V. Henr. Meibomium de incubatione p. 135. Invenies libellum ap. Schlaegerum diss. rarr. Helmstad. 1732. T. I. Cf. Villois. Anecd. Gr. II, 24. sqq.

l) De Paulo cf. Epigr. ap. Brunck. III, 595. Suidas s. v. Sprengel. H. M. II, p. 223. sq. et ipsius, quos fors servavit, de arte sua libri.

m) V. Herderum in Ideis ed. a Danzio I, p. 46.

montana a frequentiori hominum coetu marique externos advehente remotior. Quin etiam Aeginetae omnibus fere exuti erant, quae vitam Doriensem conficere putantur. Dorienses Graeciae parte praestantissima agroque potiti sat ubere, inopiam ignorabant nisi voluntariam. Simul ii in Peloponneso domini, Graecorum omnium antiquitus principes, sibi solis erant confisi. Eorumque civitates ab exteris seclusae peregrinum immo arcentes, in sese malebant acquiescere. At vero Aeginetae agrorum indigentia, reipublicae exiguitate ad studia alacriora, commercia maris, alienorum foedera adiguntur. Dehinc consentaneum erat ingenii temperamentum exsistere Doriensi constantiae Ionum vegetam mobilitatem addens: quale Aeginetae et Rhodii et Siculi referunt. — Tangimus quaestionem gravissimam et arduam et in qua iamiam intelligitur historiarum Graecarum summam consistere. Sed nescio tamen an qui adhuc diversa Graiorum genera descripserunt, magis locorum, quibus illa forte insederant, quam nationum ingenia assecuti sint. Quae quanquam sese persaepe invicem referunt: est tamen aliquid, quod gentibus ingenitum locis non immutetur. Arcadum pastoriciam feritatem rectius fortunae, quae eos intra montes coercuit, quam origini Pelasgicae attribues. Nam difficile investigatu, quid sit, quo cognationem cum Atticis demonstrent. Iones sub caelo in orbe terrarum mitissimo coluerunt; neque ulla unquam his gens hilarior: Aeolenses caelo minus aequabili sed terra potiti sunt fecundissima; et profecto omnia apud eos soli exuberantem luxuriem spirant. Tamen neque Iones neque Aeolenses Asiae veram et ingeneratam Ionum et Aeolensium naturam referre existimes. Ac certe conclusione de Aeolensibus Asiae in Achaeos Thessaliae et Peloponnesi, in Boeotos atque Aetolos nihil esset magis temerarium: hisce nimirum nihil commune nisi nomen Graecanicum. Multa etiam opinionum commenta haud dubie invexit historia litteraria. Ionum ex indole deduci solet carmen epicum: ac si idem Boeotis minus patrium fuerit, neque consentaneum esset, carmina Achaeorum heroas celebrantia ab Achaeis originem traxisse, maxime cum ii potissimum Troadem incoluerint. Ita e Lesbiaca lyricae poeseos disciplina de omnium illorum Aeolensium ingenio cognoscunt. In his et talibus fere ludunt nostrates. At haec mittimus. Verumtamen in Doriensibus Asiae, Siciliae, Peloponnesi, tempore diversissimo, vario sub caelo, aliâ locorum naturâ, dissimillimorum populorum contiguitate, Doriensis tamen non potest non agnosci, aeque ubique oppositus ingenio Attico. Sed operosum dictu, quomodo.

K

Urbem Aeginae neque credi potest architecturae honore caruisse, quippe statuariorum et sculptorum operibus florentem: neque poterat esse exigua, tot incolis totque hospitibus scatens. Sita erat ad mare, adversus Africum, Epidauri puto et Cherrhonesi e regione n); munitissima usque ad Olymp. LXXX, ita ut novem mensium oppugnationem sustinuerit; portubus circumdata duobus, et haud dubie tam ampla, ut a templo Veneris ad australe usque insulae promontorium pertinuisse et fana, Pausaniae tempore passim disiecta, pleraque continuisse videatur. Divisa dicitur in veterem ac novam. Verum τὴν παλαιὴν καλεομένην πόλιν apud Herodotum (VI, 88.) nihil esse nisi arcem Aeginae, tum Nicodromus, occupans eam dum tyrannidem affectat, tum mos antiquitatis comprobat, editiores primum locos communiendi et incolendi. Res notissima, etiam Platoni: sed hinc factum, ut arces nonnunquam nudis verbis, ἡ παλαιὰ πόλις, significentur. Nostrae consimiliter acropolis Samia, qua primâ potitus est Polycrates o), Ἀστυπαλαία dicitur, ad cuius nomen ridicule postea Neptuni quaedam et Phoenices filia conficta est. Scriptorumque locis comparatis, veterem Rhodi urbem, Achaiam sive Cyrben, perspicitur, Ὀχυρώματι Ialysi apud Strabonem esse eandem p) — Pindarus ut Aeginam εὔπυργον (N. IV, 12.) et χώρας ἄγαλμα appellat (III, 13.), et pulcritudinis urbis saepius mentionem iniicit: ita vicum, in quo Sogenes Nemeonices habitabat, εὐκτήμονα dicit et ζάθεον (VII, 92.): ob multitudinem templorum, puta. Ἐν ἐπιφανεστάτῳ τῆς πόλεως, ut Pausanias scribit (II, 29, 6.), situm erat Aeaceum, marmoris candidi περίβολος τετράγωνος. Prope Phoci tumulus crepidine incinctus, saxo insignis quale iaciunt heroes. Nec longe abesse poterat templum Apollinis: nam et hoc, ut

---

n) τετραμμένη πρὸς Λίβα. Str. VIII, 375. b. Cf. Xenoph. H. Gr. V, 1, 2. Polyaen. III, 10, 9. Hinc Ptolem. p. 91. recte Aeginae parem tribuit longitudinem atque Troezenae, minorem paullo quam Cherrhoneso. Sed latitudo ad cetera loca comparata, vel ipsius Ptolemaei culpa, nimis aucta est.

o) Polyaen. I, 23, 2. cf. Etymol. s. v. Ἀστυπ.

p) Diod. S. V, 57. Heliadae κατῴκησαν ἐν τῇ Ἰαλυσίᾳ κτίσαντες πόλιν Ἀχαΐαν. Ergias Rhodius ap. Athen. VIII, 56. p. 360. e Οἱ περὶ Φάλανθον ἐν τῇ Ἰαλυσῷ πόλιν ἔχοντες ἰσχυρωτάτην τὴν Ἀχαΐαν καλ. κ. τ. λ. Str. XV, p. 655. b. εἶτ᾽ Ἰαλυσὸς κώμη καὶ ὑπὲρ αὐτὴν ἀκρόπολίς ἐστιν Ὀχύρωμα καλ. Cf. Meurs. Rhod. I, 6. T. 3. p. 697. Mannert. VI, 3. p. 228. Unde cur non emendamus Scylacem p. 38. Ῥόδος κατὰ τοῦτο νῆσος τρίπολις. ἀρχαία πόλις. καὶ ἐν αὐτῇ πόλεις αἵδε· Ἰαλυσὸς κ. τ. λ.? Corr. Ἀχαΐα π. Quanquam lacunam, denotatam a Niebuhrio (Act Ac. Berol. a. 1804—11. p. 89.) non abnuo, nisi fortassis verba Ἀχ. πόλις, pro varia horum Periplorum fortuna, nautae cuiusdam marginale censenda sunt.

est in marmore modo allato (v. 35.), in urbis splendidissimo situm erat: illud fortasse Apollinis Pythii fanum cum theario deique ξοάνῳ [q]): quod sicut Pythium Gortynense in media urbe positum fuisse veri simile est [r]). Abhinc templum Dianae cum signo vestito, Bacchique τοῦ πωγωνίτου, prisco more et amicti et barbati [s]), haud multum distabant. 30, 1. Iam autem interciderat Pausaniae tempore sacrum Cereris Thesmophorae, ap. Herod VI, 90. reorum profugium. Atque etiam inter Aeginetas, ut in plerisque Doriensium civitatibus, Thesmophoria celebrata esse possunt. Ex altera parte delubrum erat Aesculapii cum signo marmoreo sedente. Prope Hecateum peribolo circumdatum. 30, 2. Aderat deae simulacrum ligneum, opus Myronis, cuius, pro antiquo artificio, et os et truncus simplex erat [t]), per Atticos ut videtur in Aeginam delatum. Addimus, quod Pausanias tacet, Minervae fanum supra commemoratum. (p. 108. 113.) Plura exstabant Herculis, herois apud Aeginetas hospitis, sacella; primum ab urbe remotius ad mare in Tripyrgia (Xen. Hell. V, 1, 10.); alterum et tertium in urbe domum Sogenis cingebant. (Pind. N. VII, 93.) Et Sogenes Euxenida fortasse ipse sacerdos Herculis erat. Quibus, secundum sacra Aeginaea, etiam Neptunium, Iunonium et alia addere libebit. Nimirum Pausanias noster ne umbram quidem veteris Aeginae vidisse putandus est. Ex urbe ad portum occultum tendenti obvium erat ingens theatrum, magnitudine et formae praestantia, ut Paus. scribit 29, 8., Epidaurio simillimum. Atqui Epidaurium, quippe architecto Polycleto exstructum (27, 5.), Romana omnia ornamentorum ratione, Megalopolitanum amplitudine superabat. Theatri a tergo stadium collocatum erat, uno sui latere theatrum fulciens et ab illo fultum [v]). Ac verisimile stadium totum ad totum semicirculi diametrum adaptatum fuisse, et sequitur ipsius theatri latitudinem fuisse stadium. Immensam profecto. Ad alterum portum Veneris Marinae templum erat. 29, 6. Quae omnia urbi, donec florebat, certe erant contigua. Exeuntem autem e mediterraneis portis, priusquam ad montem Panhellenium venerit, excipiebat fanum

---

q) Pind. N. III, 67. Paus. II, 39, 1.

r) Steph. Byz. *Πύθιον· τὸ πάλαι μεσαίτατον τῆς ἐν Κρήτῃ Γορτύνης.* s) Cf. Paus. V, 19, 1 Visconti. de Elginianis p. 125.

t) Triplicia primus finxit Alcamenes: cuius tamen Hecaten quandam etiam Aeginae fuisse, quo sit probaturus Creuzerus (v. Symb. II, 121.) non dispicio.

v) Ita emendo: *τούτου δὲ ὄπισθεν ᾠκοδόμηται στάδιον πλευρᾷ μιᾷ, ἀνεχούσῃ τε αὐτῇ τὸ θέατρον καὶ ἀντὶ ἐρείσματος ἀνάλογον ἐκείνῳ χρωμένῃ.*

et lucus Aphaeae. 30, 3. In ipso colle, obverso Atticae[x]), positum erat templum Iovis, Doriensis architecturae, ut iam omnes fatentur, inter opera praestantissima, aureo eburneoque dei colosso, ut et mihi fere persuasum est[y]), insigne. Pausaniam id non adiisse, narratio ipsius fere prodit hic deficiens. Fuerat tamen Oeae. Aberat is locus stadiis ab urbe viginti, situs in media ferme insula, sacer religione antiquissima. Her. V, 83. P. 30, 5.

Res sacrae.

§. 4. Neptunia. Aphrodisia. Heraea. Delphinia.

Hactenus tanquam in porticibus et peristylis templorum commorati, age iam in ipsa fana introeamus: inde postquam quae fuerint sacra publica perspectum erit, pergemus ad adyta mysteriorum: id certum habentes, cognitionem etiam exiguae civitatis ne hos quidem recessus reformidare debere. Atque praeponimus, pro rerum navalium inter Aeginetas studio, deos harum praesides, Neptunum et Venerem: quibus posthac etiam Delphinius Apollo et Diana Aphaea addendi erunt. De Minerva enim iam supra monuimus.

Plutarchus (Quaest. Gr. p. 301.) ubi enarravit, Aeginetarum Troia redeuntium perpaucos effugisse tempestates, epularique domi laetitia esse exceptos: ταῦτ' οὖν, addit, ἀπομιμούμενοι τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἄγουσι τοὺς καλουμένους θιάσους, ἐν ᾗ καθ' αὑτοὺς ἐφ' ἡμέρας ἑκκαίδεκα μετὰ σιωπῆς ἑστιῶνται, δοῦλος δὲ οὐ πάρεστιν[a]). Sed aliam his coenis luctu et silentio peractis subesse sententiam, aliam a Plutarcho et vulgo esse subditam, nemo infitiabitur: ac similis, ne plura memorem, prima Hyacinthiorum dies, et haec conviviis sine corona, nullo carmine, absque sermonibus, celebrata. Prope portum Aeginaeum templi Veneris reliquiae et nunc visuntur: Λιμνησίας ut apparet et Γαληναίας[b]). Sed porro audiendus Plutarchus: εἶτα ποιήσαντες Ἀφροδίσια διαλύουσι τὴν ἑορτήν. ἐκ δὲ τούτου Μονοφάγοι καλοῦν-

---

x) Iucunda memoratu est tempestatis observatio Theophr. de sign. pluv. p. 419. Dan. Heins. ἐὰν ἐν Αἰγίνῃ καὶ ἐπὶ τῷ τοῦ Διὸς τοῦ Ἑλλανίου νεφέλη καθίζηται, ὡς τὰ πολλὰ ὕδωρ γίγνεται.

y) V. Wagner. et Schelling. p. 84, 85. cf. c. V. epimtr.

a) De hac sacrorum multorum lege Casaub. ad Athen. XIV, p. 639. d.

b) V. Spanh. ad Call. in Del. 308. Larcher. de Ven. p. 109. sq.

ται c). Sic Aeginetarum sacra Venerea cum Neptuniis erant connexa: iisdemque Neptuniis, luctu et lustratione confectis, cunctae civitatis in laetitia effusionem arguit Athenaeus XIII, p. 588. ubi de Laïde: Ἀρίστιππος κατὰ ἔτους συνδιημερεύουσι αὐτῇ ἐν Αἰγίνῃ τοῖς Ποσειδωνίοις, luxuriosis quippe feriis, nempe iis ipsis, quibus ea meretrix, Panhellenibus spectantibus, Venerem emergentem imitata est. (l. c. p. 590.) d) Quapropter, cum illa idem Eleusiniorum quoque die altera, Ἅλαδε μύσται, ausa esse referatur, etiam in Neptuniis Aeginaeis eiuscemodi ablutionem squaloris, post luctum civitatis, constitutam fuisse non solum coniectari potest.

Ea autem Neptunia Venerisque sacra unde originem traxerint, quanquam haud satis apparet, tempore tamen coloniae Doriensis haud dubie antiquiora sunt, et foedus Calaureaticum in memoriam revocant. Contra Epidaurum patriam suam, perspicue referunt Aesculapia, Argos Hecatombaea. Nam Aeginetarum Iunonia, et haec Ἑκατομβαῖα dicta, proinde ac sacra Samiorum, quanquam hi cum sacerdotibus Argivis perpetuo de principatu deaeque natalibus litigabant e), cum pompis, certaminibus, clypeo Argivo, cunctisque symbolis a colonia Epidauria Argis esse advecta, Didymus et Scholia ad Pindari P. VIII, 82.

Ἥρας ἀγῶν' ἐπιχώριον
νίκαις τρισσαῖς Ἀριστόμενες δάμασσας ἔργῳ

insigniter docent f). Neque tamen Dorienses Aeginetarum Iunonia condidisse existimem, sed potius Dionaea illa, inde ex Dodona cum Iovialibus Panhelleniis consociata, in suam formam immutasse g). — Unde ad eius dei, qui omnium Doriensium princeps est et Archageta, ad Apollinis religiones pervénimus h).

---

c) Cf. Meurs. Gr. Fer. s. vv. *Μονοφ.* et *Αἰγιν.* ἑορτή.

d) Nemo de his studiosius egit quam Scheibel. Corinthiacis p. 175.

e) Immo vero etiam *Λέχερνα* nomen (Hesych. T. 2. p. 459.) *ἀπὸ Ἀργείων ἡ θυσία ἐπιτελουμένη τῇ Ἥρᾳ*, derivandum a λέχος et ἔρνος, indicat, ipsam fabulam Samiorum de Iunone *viminibus involuta et constricta* (quae eadem est ac Spartana de Diana *λυγοδέσμῳ*, quam Orestes in vitice *ὀρθίαν* posuerit; Athen. XV, 672. Paus. III, 16, 7. Hygin. f. 216.) ab Argivis esse repetitam.

f) *ὡς ἐν Αἰγίνῃ Ἡραίων κατὰ μίμησιν τοῦ ἐν Ἄργει ἀγῶνος.* Didymus: *τὰ Ἑκατομβαῖα λέγει ἐπιχώριον ἀγῶνα Αἰγινητῶν διὰ τὴν συγγένειαν.* Cf. p. 140. n. y. et Meurs. Opp. T. 7. p. 764.

g) De Diona tam dilucide quam breviter Buttmannus dixit ad Midianam Spaldingii p. 121.

h) *τιμᾶται δὲ σφόδρα ἐν Αἰγίνῃ Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις*, ut Sch. ad P. VIII, 88.

Apollinis Pythii apud Aeginetas templum cum theario supra memoravimus: Apollinis Delphinii sacra apud eosdem celebrata esse, commonstrant Pindarus et eius Scholia [i]): eodemque mense

θύουσιν Αἰγινῆται Ἀπόλλωνι οἰκίστῃ καὶ δωματίτῃ, καθά φησι Πυθαίνετος.

Sicut autem Apollo *οἰκίστης* et *δωματίτης* idem est qui apud ceteros Dorienses *Ἀρχαγέτας* audit [k]): ita, quoniam reditus Heraclidarum ad Delphicum maxime oraculum deferebatur, Archageta haud alius est ac Pythius [l]): Delphinia autem tum fabula antiquior de Cretensibus per delphinem Crissam deductis [m]), tum recentior nomen a Pythone dracone, *δελφίνη* dicto, derivans [n]), utravis ad sacra Delphica refert: itaque sacra Apollinis *οἰκίστου* cum Delphiniis coniuncta fuisse omnino consentaneum est: quanquam id Pindari Scholiastes magis coniectatus fuisse, quam Pythaenetus diserte tradidisse videtur. Quare Pythium, Delphinium, Conditoremque Apollinem unum possemus praedicare et eundem: nisi de veterum religione, idem nonnunquam numen diversis et nominibus et feriis colente, satis compertum esset: atque pluribus igitur eiusdem mensis diebus, alio Conditoris, alio Delphinii sollemnia, alio Hydrophoriae certamen peractum esse censendum est [o]). Pythia an Aeginae celebrata sint, nescimus.

Et Delphinia et Hydrophoria Aeginae communia sunt cum Athenis, magis tamen ut videtur casu, quam interiori nexu: si quidem Atheniensium Delphinia Munychione,

---

i) P. VIII, 88. N. V, 81.

k) Ita *Megaris* Paus. I, 42. *Therae* et *Cyrenae*, Pind. P. V, 60 *Naxi* in Sicilia Thuc. VI, 3, *Messeniorum* inter Siculos et *Tauromenitarum* in numis. Cf. Burmann. ad. Num. Sic. p. 373. sq. Etiam Cyzici, Aristid. Pan. Cyz. p. 414, videlicet Milesius. *Δωματίτης* Neptunus apud *Spartanos*, Paus. III, 14, 7. et in inscriptione Fourmontiana, ubi cum Hercule *Genarcha* iungitur, ut Iuno *Προδομία* Sicyoniorum II, 11, 2. Cf. Spanh. ad Call. in Dian. v. 227. Apollo autem et Neptunus dii sunt omnino aedificatores.

l) V. Spanhem. ad Call. in Apoll. v. 55. sq.

m) In hymno Homer. in Apoll. P. v. 318. cf. Ilgen ad l. et Creuzer. Symb. II, p. 389. sq.

n) Apollon. Rh. II, 706. Dion. P. 441. Tz. ad Lyc. v. 208. Cf. Spanh. l. l. v. 91. Ruhnk. Epist. Crit. II, p. 203.

o) Schol. N. V, 81. de Delphinio I. *καὶ εἴη ἂν ὁ μὴν οὗτος, ἐν ᾧ θύουσιν Αἰγινῆται Ἀπόλλωνι οἰκίστῃ.* II. *μεὶς — ὁ Δελφίνιος — καθ' ὃν τελεῖται Ἀπόλλωνος ἀγὼν ὑδροφορία καλούμενος.* De hoc v. I, §. 6. p. 24, v.

Hydrophoria Anthesterione celebrata esse constat[p]. Et utrumque sacrum apud Athenienses obsoleverat, et Hydrophoria nihil erant nisi ritus sacerdotalis: longe aliter quam inter Dorienses nostros. Omnino autem, ut Plutarchus scribit (Sol. Anim. p. 984.) Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερὰ καὶ βωμοὶ παρὰ πολλοῖς Ἕλλησίν εἰσιν. Quippe apud Massilienses fuisse, testis est Strabo (IV, 179. b.); apud Milesios, Apollinis tum Didymaei tum Pythii cultores, probant verba, quae nimirum sacerdotes phialae illi in Didymaeo inscripserant, quam a Thalete, cum per orbem Sapientum ad ipsum rediisset, dedicatam esse iactabant: Θαλῆς Ἐξαμίου Μιλήσιος Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ Ἑλλήνων ἀριστεῖον δὶς λαβών[q]: adeoque apud omnes Iones Geographus, τοῦτο μὲν, dicens, κοινὸν Ἰώνων ἁπάντων.

Est vero Delphinius haud dubie Apollo Marinus: neque temere de eo Apollinem prorae navis insistentem cum delphino, in numo Antigoni Primi, Syri, explicuit Winckelmannus[r]. Quod comprobat ipse delphinus, et ipse potissimum hydrophoriae vel amphorites agon, idemque coniunctio commonstrat cum Diana Dictynna, de qua infra. Quodsi vero ex indole et Hydrophoriae et Delphiniorum apud Atticos[s] in Aeginaea iusta ratione concluditur: et haec lugubria erant et supplicia.

Sed quae de Apolline Delphinio traduntur, etiam de uno mensium Agineticorum certiores nos fecerunt. Est enim mensis **Delphinius**, de quo Pindarus (N. V, 44.)

Ἁ Νεμέα μὲν ἄραρεν μεὶς τ', ἐπιχώριος ὃν φίλασ' Ἀπόλλων.

Quem cum Dodwellus (diss. VII, s. 11.) e Nemeorum loco, Atticum esse Metagitnionem, coniecisset, utrumque quippe dicatum Apollini: Corsinus contra, postquam Nemeis lo-

---

p) V. Cors. Diss. Agon. III. n. 16. F. A. II, 319. 373. De Apolline Dianaque Atticorum Delphiniis Plut. Thes. 5, e. 6, b. Paus. I, 19, 1. Diog. Laert. I. s. 29. Poll. VIII, 10. (τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ.) Lex. Seguer. Bekkeri p. 255. Affinis origo ut videtur Delphinii, *sacri portus* (Str. IX, 403.) Boeotiae, et Delio vicini.

q) Quod quidem anathema Diogenes L. I, 29, secutus Callimachi choliambos. (Bentlei. fr. XCV.) Θαλῆς με τῷ μεδεῦντι Νειλέω δήμου Δίδωσι τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον, Apollini Didymaeo consecratum esse, scribit; quem ipsa correctione in verbis supra laudatis Menagius et Corsinus reponere vix dubitant, doctum scilicet sphalma librarii eradicantes. Ego crediderim potius, Delphinia Milesiorum sensim cum Didymaeis confluxisse: ita ut Callimachus pro Delphinio notiorem Didymaeum significare maluerit.

r) Hist. Art. X. c. 2. §. 9. T. VI, p. 127. Mirum tamen, ab eo versum Eurip. Androm. 1011. ad Apollinem *Πόντιον* trahi.

s) Plut. l. l. καὶ νῦν ἔτι τὰς κόρας πέμπουσιν ἱλασομένας ἐς Δελφίνιον. cf. p. 24. v.

cum suum primus constituerat (F. A. II, 393. Diss. Ag. III, p. 103.) Delphinium docuit, cum Hecatombaeone aut Gamelione, quibus ludi Nemei aestivi et hiberni habiti sint, esse committendum. Tumque equidem Gamelionem praeferam. Hecatombaeoni enim, eodem probante (p. 400.) Hermaeus Argivorum respondet: neque mihi, quicquid ille obloquatur, improbabile est, Argivis, Epidauriis, Aeginetis eosdem fere menses fuisse. Attamen fallax et mendax omnis haec et Dodwelli et Corsini disputatio est. Nihil puto dixit Pindarus, nisi Pytheae et Nemea et patrium Delphiniorum certamen (de quo iam alibi P. VII, 68 laudavimus) gloriosum fuisse: hinc futilissime architectatur Scholiastes: Δελφίνιος μείς, ἐν ᾧ ἴσως φησὶ γεγενῆσθαι τὰ Νέμεα. Qualibus ἴσως nemo velim tantillum tribuerit.

Sed hanc non solam, neque gravissimam eam disceptandi ansam viris doctis praebuit iste mensis. Satis notum est testamentum Epictetae, filiae Grinni, e tabula marmorea Venetiis primo editum ap. Franc. de Zuliani, post a Grutero p. CCXVI sq. et Maffeio Mus. Veron. XV. Orditur autem his verbis

ΑΝΔΡΑΓΟΡΑΣ ΦΟΙΝΙΚΟΣ
ΕΠΙ ΕΦΟΡΩΝ ΤΩΝ ΣΥΝ ΦΟΙΒΟΤΕΛΕΙ
ΤΑΔΕ ΔΙΕΘΕΤΟ ΝΟΟΥΣΑ ΚΑΙ ΦΡΟΝΟΥΣΑ ΕΠΙΚΤΗΤΑ
ΓΡΙΝΝΟΥ ΜΕΤΑ ΚΥΡΙΟΥ ΥΠΕΡΕΙΔΟΥΣ ΤΟΥ ΘΡΑ
ΣΥΛΕΟΝΤΟΣ ΣΥΝΕΥΑΡΕΣΤΟΥΣΑΣ ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥΓΑ
ΤΡΟΣ ΕΠΙΤΕΛΕΙΑΣ ΤΑΣ ΦΟΙΝΙΚΟΣ et sqq.

Qui Phoenix, ὁ καὶ κατασκευασάμενος τὸ Μουσεῖον ὑπὲρ τοῦ μεταλλαχότος (Hyperidis et Epictetae) υἱοῦ Κρατησιλόχου persolvat, statuitur, pecuniam definitam καθ' ἕκαστον ἔτος ἐν μηνὶ Ἐλευσινίῳ. ὁ δὲ ἀνδρεῖος τῶν συγγενῶν συναγέσθω ἐν τῷ Μουσείῳ καθ' ἕκαστον ἔτος ἐν μηνὶ Δελφινίῳ: novaque accedente clausula (p. CCXVII.) κατὰ τὸν νόμον συναχθήτω σύλλογος ἐπὶ ἐφόρων τῶν σὺν Ἱμέρτῳ μηνὸς Διοσθύου δεκάτᾳ καὶ αἱρεθήτω ἐπίσσοφος.

Id marmor Gudius apud Gruterum: *ex Aegina*, ait, *allatum colligo e nomine* Διοσθύου *et* Ἐλευσινίου *et Delphinii.* Ex quibus illos videlicet ad Iovis Panhellenii Damiaeque et Auxesiae sacra retulisse videtur. Scaliger contra in Indice Gruteriano (p. 14.) Cretense esse voluit: quapropter, ignoratur. Prideauxius (Marm. Oxon. p. 27.) atque Maffeius Spartanis addiderunt †); contra quos cum exstitisset Corsinus (F. A. II, 453. sq.) qui Aeginetis tribuit, Scipio Maffeius re repetita (Mus. Veron. p. 68. et 480.) longam cum eo iniit disputationem, maximeque, quia mar-

†) Hic l. l. Ambiguus est Chishull. Antt. As. p. 125. 137.

mor illud Venetiis *lapis Misitrensis* nuncupetur, Spartae eripi non passus est. At quid? si nomen id ipsum antiquariis, quos ephororum mentio induxerat, debetur: certe in talibus sollicite cavendum est. Sed expedit illos ipsos audire. Corsinus Spartae eripit, *quoniam huius civitatis voces vocumque flexiones non adhibeantur:* Maffeius contra, *monumentum neque esse primaevae aetatis, nec plebeias voces continere posse: litteram tamen caninam servari in illo ἀρτυτήρ.* (p. 26, 4.) *Occurrere deinde,* ille, *quae a Spartana morum disciplina abhorreant:* hic, *temporis esse, quo Lycurgi instituta dudum obsoleverunt.* Et *Ephoros,* monet Corsinus, *non Spartae solum reperiri,* contra quae alter permire, *nullum uspiam inveniri eponymum, nisi in republica Spartana.* Ac sane ut Ephori inter Messenios, ut Heracleae et Tarenti [u]) reperiuntur, ita prorsus non dubito, quin vetus sint institutum Doriense, multum antiquius et Theopompo adeoque Lycurgo, neque Spartanis peculiare. Qui enim alioquin Cyrenaei, in Colonia Therensi, Ephoros inveniremus (testis autem de iis est Heraclides Ponticus), si quidem Lacedaemoniorum in Theram deductio ipsius Lycurgi tempore multum prior erat? Corsinus deinde, *Ephoros Aeginetis fuisse quippe colonis Lacedaemoniorum* [v]). In quem iure invectus est Maffeius *Aeginetas* dictitans *colonos esse Argivorum:* quanquam proprie neque Argivorum sunt nec Lacedaemoniorum. Habitaverant tamen Aeginetae per bellum Peloponnesiacum in Laconia, dispersi erant per universam Peloponnesum, reducti sunt a Spartanis; diuque ab horum Harmostis custoditi Ephororum nomen facile poterant adoptare.

Necdum nomina tentata sunt: quorum sane pleraque in marmore nostro obvia sunt Spartana, ut *Aristodemi, Proclidae, Cartidamae, Gorgopae:* nonnulla etiam, ut *Phoenicis Grinnique,* quae Aegidarum genti singularia videri possent. Primum tamen, quid vetat, quominus Aegidas cum Carneis etiam in Aeginam delatos esse existimemus? nomina certe e sacris Carneis, ut Crii apud Pausaniam III, 13, 2., et hic reperiuntur; atque tantum abest, ut sacra Carnea Spartanis peculiaria fuerint, ut potius eadem omnibus Doriensibus communia fuisse, idem scriptor asserat; deinde, quantulum tempore huius testamenti e Nominibus iam temere per Graeciam dispersis colligi potest. Aeginetam certe inter nomina illic obvia novimus *Alcimedontem,* Aeacidam Euagoram. V. p. CCXVII.

Quae cum se ita habeant: nihil equidem adhuc asseveraverim: exspectans an fortasse ex alio quopiam mar-

---

u) Polyb. IV, 4. et 31. Mazochius tb. Heracl. p. 97. 133. 145.
v) Id fortasse e Meursio. V. p. 43.

more lux nostro uberior exoritura sit. Interea, donec coniecturae campus datur, vestigia Scaligeri prementes testamentum Cretense existimemus. Argumenta paullo altius repetenda erunt, tamen quam brevissime.

Nihil ego novi memorabilius insigni illa Delphorum cum Creta priscis temporibus coniunctione. Quippe Cretenses ab ipso deo primi Pythonem deducti; Magnetes contra Delphis in Cretam missi traduntur [w]). Sic Apollo Delphicus etiam in numis Cretensium frequens est, et vetustissima Cretensium Delphis erant anathemata [x]). Ideo et in Delo et Delphis mythici Apollinis cultores Cretenses sunt: ii revera homines Apollinei [y]). Et Miletus, Apollinis ex Acacallide filius, fabularum consensu e Creta venisse perhibetur; sed Branchus Milesius, Didymaei conditor, patria Delphus dicitur [z]); atqui eadem Miletus Delphiniorum praecipua sedes est. Itaque etiam Apollinem Delphinium in fabulis Creticis proprium habere domicilium, testificatur ipse hymnus Homericus [a]). Et suffragatur foedus Latiorum et Olontiorum apud Chishullum (Antt. As. p. 134.) θέμεν δὲ καὶ ἄλλαν στάλαν ἐν Κνωσῷ ἐν τῷ ἱερῷ τῶ Ἀπόλλωνος τῶ Δελφινίω. At idem foedus mensis Latiorum *Eleusinii* meminit, ab ipsa *Eleusina* dea, quam Latii imprecantur, nuncupati [b]): atque de Diosthyo, si Corsinus vere coniecit, anni principio, maxime cum Iovialia sacra Cretensibus imprimis patria sint, eadem coniecturâ assequimur. Atqui Ephori, cum *Dorienses tripartiti* inter antiquos Cretae incolas, sollemni illo anachronismo, iam ab Homero commemorentur [c]), cum Sparta continuo colonias easque tam potentes, ut Lyttum et Gortynam [d]), in Cretam deduxerit, post per Charmidam Euthyis f. totum Cretae statum immutaverit [e]), in quodam huius insulae angulo substitisse possunt [f]).

---

w) Conon 29. Quocum cf. Plato Legg. XI, 919. d.

x) Pind. P. V, 41. Eckhel. Num. anecd. I, p. 147.

y) H. in Apoll. 388. 538. Virg. Aen. IV, 145. Tibull. IV, 1. 8. Hinc Creticus metrum Apollineum est. Cf. Hüllmann. Init. Hist. Gr. p. 69.

z) Apollod. III, 1. 2. Str. IX. p. 421. XIV, 634. Anton. Lib. 30. Paus. VII, 2. 3.

a) In Apoll. P. v. 316. et cf. Plut. Thes. l. c.

b) Cf. Corsin. F. A. II. 430.

c) Od. T. 175. Diod. S. V, 80.

d) Aristot. Pol. II, 7. Conon. 36. Plut. Virt. mul. II, p. 18.

e) Paus. III, 2, 7.

f) De Delphiniis adde Gyrald. Synt. VII, p. 225. Menag. ad D. Laert. ap. Meib. T. II, p. 18. Dodwell. de Cycl. 314. Meurs. Gr.

§. 5. Panhellenia et Aeacea.

Originem coloniae Doriensi antiquiorem perspicue referunt Panhellenia et Aeacea.

Quodsi Hellanium Aeginae verum illum et germanum nominis Hellenici sensum respicere censuimus, eumque unicum diximus in antiquissimo Graecae nationis carmine: id tamen non obstat, quo minus idem illud nomen iam in ipsa poesi epica in Thessaliam, postremum per universam Graeciam evagatum concedamus. Sic a sincero eius usu, observato eo in Iliade et Phthiotarum catalogo, in Odyssea eatenus utique deficitur, ut tum quidem usitata epicis formula, ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε, tum altera haec obvia sit, καθ' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος: qua aperte Peloponnesus Thessaliae opponitur [g]: neque enim, etiam tum cum Helladis nomen iam auctius esset, formulae illiusmodi, veterem sensum referentes, poterant plane repudiari. Contra e Panhellenum in Catalogo Locrorum commemoratione, quanquam eâ etiam Hellenum appellationem latius propagatam significante, nihil tamen admodum supra collegimus [h]: neque plura Hesiodi de Proetidibus loco ab Apollodoro laudato, ὅτι Πανέλληνες ἐμνήστευον αὐτάς, confici visa sunt. Quo certe quidem apertiora haec sunt Archilochi: Πανελλήνων οἰζὺς ἐς Θάσον συνέδραμεν [i]: nec non sub ea ipsa tempora Dori, Aeolique et Xuthi orta est genealogia: quippe cuius in Hesiodeis prima facta est mentio [k]; nomine Hellenico tum et Iliacis carminibus celebratissimo, et per irruptionem gentium Thessalarum in Peloponnesum amplificato. Immo latissimo etiam sensu, quod non celabo, *Sol* in Opp. et Dd. (v. 526.) βράδιον Πανελλήνεσσι φαείνει: atque ne Panhellenum quidem nomen de omnibus

---

Fer. II, p. 82. Nugas insulsas Mart. Hermanni (de Fest. I, p. 171. II, 157. animus non est refellere.

g) V. p. 15. t. cf. 19. p. etiam Plin. IV, 7, 14. Sed Deiphobus Dionis Chrysostomi hunc usum non curat: et hallucinatur Casaub. Diatr. T. II. p. 465. R.

h) Istum locum etiam a Thucydide ignoratum esse, colligo ex iis, quae p. 16. laudavimus: quemadmodum etiam Agamemnonis copiarum catalogum longe alium, quam nunc est, ab eo scriptore lectum esse existimaverim, quippe qui ex Iliadis versu B, 108., Regem Mycenarum non Argolicas tantum, sed etiam plures insulas in ditione habuisse demonstrare poterat. I, 9. V. supra I, §. 6. p. 24.

i) Frag. 21. Tam exosa poetae erat Thasus, ut *ex universa Graecia malorum eo sentinam confluxisse* comminisceretur, sicut locum recte explicavit Iacobsius.

k) Tz. ad Lyc. 284. Cf. potissimum Intpp. ad Marm. Par. ep. 6. p. 20. et 132.

usurpari, Hellenum autem opineris de parte tantum: universus (v. 651.) Achaeorum exercitus Aulide solvit

Ἑλλάδος ἐξ ἱερῆς Τροίην ἐς καλλιγύναικα.

Suspiciosum tamen, fateor, neminem veterum hosce versiculos excitasse: quandoquidem iam inter eos de eadem re multum et vehementer disceptatum est: attamen carmen Boeoticum et ab epica norma prorsus alienum, etiamsi de aetate eius quidpiam sciretur, generalem tamen quandam conclusionem non admitteret.

Verum sub bella Persica, quo primum tempore omnis Graecia unius nominis sibi conscia facta est, tum Aristagoras Milesius Cleomenem Lacedaemonium πρὸς θεῶν τῶν Ἑλληνίων, ut Ioniam servitute exsolverent, imprecari, tum Athenienses Spartanos obtestari poterant, ut Δία τε Ἑλλήνιον αἰδεσθέντες καὶ τὴν Ἑλλάδα δεινὸν ποιούμενοι προδοῦναι Persarum foedera recusarent [l]). Utrobique scilicet ea appellatione, quanquam etiam Iones comprehenduntur, praecipue tamen commonentur Dorienses: ut quibus id nomen antiquius erat quam ceteris Graecis (Herod. I, 56.), et ab origine quodammodo contiguum. Ac sane tum Peloponnesii potissimum, quorum etiam vetus Hellanodicarum erat institutum, Hellenes dicti sunt [m]): et maxime Sicyon (nam varie profecto id nomen exercitatum est), urbs tum facile Peloponnesi florentissima, *Helladicae* denominationem adscivit [n]). Quare id picturae genus, quod ex Sicyone, pictorum omnium metropoli, originem traxit, oppositum id Asiatico, atque artis progressu, sub tempora Peloponnesiaca, in Sicyonium et Atticum distributum, audit *Helladicum.* Id quod ab Hellade, quam Graeciam Europaeam dixeris, nomen duxisse nemo mihi facile persuadebit. Tamen neuter locorum Herodoti certa arguit sacra Hellenia: non magis quam numi Syracusani, Apollineum fere caput litteris ΔΙΟΣ ΕΛΛΑΝΙΟΥ circumscribentes [o]). Nam ta_

---

l) Herod. V, 49. IX, 7, 1. Valck. et Wessel. ad h. l.

m) Quo facile Posidippum respexisse existimaverim ἑλληνίζειν et ἀττικίζειν sibi opponens. Quo loco iam Dicaearchum (*Βίος Ἑλλ.* p. 23.) inique usum esse contendo.

n) Et quanquam Romanorum constanti usu *Hellas* Graecia est extra Isthmum, opposita Peloponneso, quae proprie est *Achaia* (aliter sane Graeci, et Sardiani urbem suam *ΕΛΛΑΔΟΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ* iactantes: in quibus Spanh. de usu num. I, p. 618. incassum laborat): *Sicyon* tamen Hellas etiam a Byzantinis dicitur. Cedren. p. 81. (Paris. 1747.) *ἡ βασιλεία τῶν Ἀργείων εἰς Σικυωνίτας τοὺς Ἑλλαδικοὺς μεταπέπτωκε.* Et saepius. Adeoque Suidas: *Σικύων ἡ νῦν Ἑλλάς.* De qua re confuse, ut solet, Salmas. Excc. Plin. p. 141. sq.: sed de ea alii perscribant.

o) V. Havercamp. ad Parut. N. Sicul. p. 343. tb. 58. n. 8. V. et Dorvill. Sicul. Tb. 8. Fg. 3. sq. Burmann. p. 345. Eckhel.

lem dictionem semper fere, ubi dii Graecanici barbaris, Persarum Poenorumve, opponuntur, usurpatam esse, evincere potest sermo Miltus (ap. Aelian. V. H. XII, 1. p. 714. Gron. cf. VI, 1. 444.), dum ad Cyrum Iuniorem abducitur, θεοὺς πάντας Ἑλληνίους καὶ ἐλευθερίους τοὺς αὐτοὺς implorantis. Ad haec Syracusiorum numi sat multi, et supra dictis perquam consimiles, voces ΖΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ exhibent: quarum significatio, credo, in aprico est. — At enimvero antiquitus et gentili instituto Helleniorum deorum nomen uspiam in Graecia, nisi Aeginae (et Thessaliae forsitan in angulo quoquam) usurpatum esse, id quidem adhuc ignoratur p).

Quo magis eorum socordia nunc iam deludenda est, qui cum Meursio (Gr. Fer. V, p. 225.) per universam Graeciam narraverunt celebrata esse Panhellenia, nominis nimirum splendore decepti: quin immo tantum abest, quin haec vera dixerint, ut nusquam potius florente Graeciae statu eiusmodi sacra patrata esse iterem, praeterquam in Aegina. Eodem trahere posses Panhellenia post Hadrianum passim obvia: nullo saltem firmiori argumento fultus ad ludos Amphictyonum Deliorum spectare putarat Sanctocrucius (de rebus. p. foeder. p. 147.): sed viam veri vestigandi credo solus indicavit Pausanias I, 18, 9. Ἀδριανὸς δὲ κατεσκευάσατο μὲν καὶ ἄλλα Ἀθηναίοις, ναὸν Ἥρας καὶ Διὸς Πανελληνίου καὶ θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερὸν κοινόν. Igitur ad haec Iovis Panhellenii sollemnia, unum ex innumeris Hadriani in Atticos munus et blandimentum, ludicra instituta et agonothetas athlothetasque designatos, atque hinc ortam esse puta Panhellenum dignitatem. Ac si ipsum Caesarem Hadrianidae in inscriptione Megarensi

ΟΛΥΜΠΙΟΝ ΠΥΘΙΟΝ ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΟΝ ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΚΤΙΣΤΗΝ ΚΑΙ ΝΟΜΟΘΕΤΗΝ

venerantur q): vero non absimile est, iam haec spectare Panhellenia instituta. Sed primorum Panhellenum, dubitare noli, quin Herodes Atticus fuerit, post Imperatorem Archon Atheniensis r): qui teste Philostrato (V. Sophist. II, 1. §. 5.) καὶ μὴν καὶ ἐλειτούργησεν Ἀθηναίοις τήν τε ἐπώνυμον (i. e. Panathenaea) καὶ τὴν τῶν Πανελληνίων. Et in schedis Fourmontianis memoratur Spartanus, Κορίνθας Νεικηφόρου συνέ-

---

D. N. I, p. 244. Ad hos numos videlicet respexit Viscontius Mus. P. Clement. T. VI, p. 2. n. *Iovem Hellenium imberbem fingi.* Item Montefalcon. Antiq. explic. I, p. 53.

p) Namque etiam Hellenia, Spartae et Naucrati exstructa, v. p. 19. 20. 82., peculiaria et popularia sacra nequaquam arguunt.

q) Exhibuit Clarckius Itin. P. 2. s. 2. p. 768.

r) V. Cors. F. A. IV, p. 172. cf. 167. II, 403.

φηβος Ἀττικοῦ τοῦ Ἡρώδου, σύνδικος ἐπὶ θεοῦ Λυκούργου, Πανέλλην. Atqui Herode Attico etiam posterior est T. Statilius Lampriae f. Timocrates Memmianus, quem ΕΛΛΑΔΑΡΧΑΝ ΑΜΦΙΚΤΥΟΝΑ ΚΑΙ ΠΑΝΕΛΛΗΝΑ innumerabilibusque eiusmodi nominibus honorificentissimum Argivorum decretum [s]) condecorat, idem Antinoëorum quoque apud Argivos et Mantineenses palmâ insignis. Sic in monumento M. Tullii Apameensis, Athenarum multarumque urbium civis, Panhelleniorum agon cum Hadrianeis coniungitur [t]): et itidem in inscriptione Megarensi [u]) athleta, qui Actia et Sebasta Nicopolitana, Capitolia et Minervae Promachi certamina Romae vicerat, insuper ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΩΝ ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ victoriam obtinuisse laudatur. Neque dubito, haec esse ea certamina, quorum praesides et agonothetae in Fragmento apud Sponium (T. III, P. 2, p. 122.) ΟΙ ΠΑΝΕΛΛΗΝΕΣ nuncupantur: collegium magnâ et Amphictyonicâ fere, donec Hadrianus imperium moderabatur, etiam in Asiâ auctoritate: cui rei ex alia Fourmontiana praesidium afferri potest. Postremum de hoc ludicro intelligimus Scholium ad Pind. O. VII, 151. Κρανααῖς ἐν Ἀθήναις] εἴη ἂν ἤτοι τὰ Παναθήναια νενικηκώς, ἢ τὰ Ἡράκλεια ἢ τὰ Ἐλευσίνια ἢ τὰ Πανελλήνια. ἴσως δὲ καὶ πάντας τούτους ἐνίκησεν ὁ Διαγόρας. Credo, si Diagoras Scholiastae aetate vixisset [v]).

Sed revertor ad Panhellenium Aeginaeum ab Hadrianeo, et origine et conditorum consilio et sacrorum indole, immane quantum diversum. Id quod a primordio et antiquiori nomine, facile crediderim, Hellanium dictum esse [w]): fuisse autem Myrmidonum qui audiunt, patrium sacrum [x]), atque post Persica demum, oblivione quadam sensus sinceri,

---

s) Ap. Maffeium Mus. Veron. p. 43.

t) Ap. Pocock. Inscr. Ant. I, c. 5. s. 4. p. 53. Spon. Misc. p. 364. n. 102. Wheler. Itin. p. 372.

u) Spon. It. T. 3. p. 2. p. 221. Misc. p. 366. n. 103. Pocock. Inscr. P. I, 5, 7. p. 63.

v) Callidius de ea re Eust. ad Il. B. p. 473. Pol. ἐκ δὲ τοῦ Παναχαιῶν ὕστερον οἱ Πανέλληνες εἴρηνται. καὶ τὸ Πανελλήνιον, ὥς που καὶ τὸ Πανιώνιον.

w) Locos Pindari, Aristophanis, Theophrasti laudavi p. 19. 77. 148.: tamen etiam Panhellenii nomen Aeginetis antiquius fuisse credendum est, quam apud scriptores occurrit.

x) Hinc Iovem γενέθλιον Aeginetarum θεὸν appellat Pind. O. VIII, 16.: templum Naucraticum supra memoravimus: ita etiam Teucer patris ira pulsus Iovem Salaminium in Cyprum detulerat. Tac. Ann. 3, 62.

fabulâ illâ magnificâ celebrari coeptum, iam pro certo habemus. At quid? futiline igitur et commenticiae nominis originationi deberi omnem de Aeaci precibus narrationem? Nequaquam: Aeaci supplicationem et Iovem placatum (id quod *pluviae impetratae* imagine exprimi amat) Hellaniae illi superstitioni sine ulla haesitatione avita dico et propria: sed circa ritum sincerum caerimoniasque occultas varie ludente fabulâ, cetera omnia accessisse. Esse vero nostra Hellania Aeginaea ad Iovialium Dodonaeorum priscam stirpem reducenda: cuinam id non persuaserunt Achillis in Iliade ad Iovem Dodonaeum Pelasgicum vota precesque, et Neoptolemi in Molossidem, sacrorum illorum sedem, discessus? ita ut, etiamsi Philoxenus, Suidas et fabulosus Cineas, ipsam Dodonam Achillis tempore in Thessalia fuisse atque a Neoptolemo demum in Epirum esse tralatam, parum firmis argumentis contenderint [y]), id tamen exploratum sit, coniunctionem gentis Hellorum sacerdotalis cum Hellenum Phthiotarum heroibus esse antiquissimam et in ima gentis utriusque radice fundatam. Neque ego (quando altiorem quidem omnem indaginem inglorius hic labor vetat) vestigia vetustarum averruncationum, — quae ut in Iovis Elicii et Pelasgici procuratione, pro hominis supplicio viles fruges mysticaeque significationis piaculo obtulerunt [z]), — etiam fabulâ de Panhellenio consecrato mythice involvi negaverim.

At prius tamen quam ab his sacris discedi poterit, insignis illa inscriptio commemoranda erit, nuper in ipso templo in lucem protracta. Quae cum, quod sciam, graece nondum palam collocata sit: iam huncce huius libelli locum liceat ea exornare. Est penes Boeckhium, tramissa e Bavaria.

---

y) Ita maxime Clavier. ad Apoll. p. 78 sq. V. Str. VII, 328. Steph. Byz. s. v. *Δωδώνη*. — Ego potius crediderim, Dodonam hanc in Pelasgiotide, de qua vix dubitare licet, veteris et antiquissimae Epiroticae, quo apertius spectant Achillis *Ζεῦ τηλόθι ναίων, Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου* (Il. *Π*, 233.) quam ut de delubro domestico cogitari detur, coloniam fuisse a Neoptolemo ad matrem suam reductam. Proinde ut Pelasgos e Thessalia pulsos, iam Hellanicus (Dion. Hal. I, 17) tradiderat, ad Dodonaeos cognatos profugisse. Eaque sane Aristotelis, *primam Hellada* circa Acheloum (etiam Phthiotica Hellas ad Acheloum erat) et Dodonam fuisse docentis, fuerat sententia.

z) Nam memorabilis est Oraculi illius, quod Pelasgis datum esse fama est ap. Dion. Hal. I, 23.

καὶ κεφαλὴν Κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα

(Macr. Sat. I, 7. Steph. s. v. *Ἀβοριγῖνες*) cum sacris Eliciis (*caput cepae, hominis capillos, animam piscis*. Ov. Fast. III, 300. Arnob. in Gent. V, 152.) similitudo.

ΙΙΙΩΙ: ΙΙ:ΑΛΥ
ΣΕ:ΙΙ:ΣΙΔΗΡΙΑΕΞΟΠΗΣ:ΙΙΙΙ:
ΚΑΡΚΙΝΩ:ΙΙ:ΞΥΛΙΝΑΤΑ
ΔΕΕΞΑΛΕΙΠΤΡΟΝ:Ι:ΚΙΒ
ΩΤΟΙ:ΙΙΙ:ΙΚΡΙΑΠΕΡΙΤΟΕ
ΔΟΣΕΝΤΕΛΗΘΡΟΝΟΣ:Ι:
ΔΙΦΡΟΣ:Ι:ΒΑΘΡΑ:ΙΙΙΙ:ΘΡΟΝ
ΟΣΜΙΚΡΟΣ:Ι:ΚΛΙΝΗ:ΣΜΙ
ΚΡΑ:Ι:ΒΑΘΡΟΝΑΝΑΚΛΙΣ
ΙΝΕΧΟΝ:Ι:ΚΙΒΩΤΙΑΜΙΚ
ΡΑ:ΙΙΙ:ΒΑΘΡΟΝΥΠΟΚΡΑΤ
ΡΙΟΝ:Ι:ΚΙΒΩΤΙΟΝΠΛΑ
Υ:Ι:ΕΝΤΩΙΑΜΦΙΠΟΛΕΙ
ΩΙΤΑΔΕΧΑΛΚΙΟΝΘΕΡΜ
ΑΝΤΗΡΙΟΝ:Ι:ΧΕΡΟΝΙΠΤ
ΡΟΝ:Ι:ΦΙΑΛΑ:ΙΙ:ΠΕΛΕΚΥΣ:Ι:
ΑΟΧΛΟΣ:Ι :ΜΑΧΑΙΡΙΑ:ΙΙΙ:
ΚΛΙΝΑ:ΙΙ: ΧΑΛΚΙΟΝΕΓ
ΛΟΤΗΡΙΟΝ:Ι:ΑΡΥΣΤΙΧΟ
Σ:Ι:ΗΟΜΟΣ:Ι:

Primae litterae fortasse ita suppleri poterunt: *κλεῖθρα πρὸς τῷ ἰκρίῳ*. Exin . . . . . *ἅλυσε β. σιδήρια ἐξ ὀπῆς δ.* a) *καρκίνω β. Ξύλινα τάδε· ἐξάλειπτρον α. κιβωτοὶ γ. ἴκρια περὶ τὸ ἕδος ἐντελῆ.* b) *θρόνος α. δίφρος α. βάθρα δ. θρόνος μικρὸς α. βάθρον ἀνάκλισιν ἔχον α.* c) *κιβώτια μικρὰ γ. βάθρον ὑποκρατήριον α. κιβώτιον πλατὺ α.*

Ἐν τῷ ἀμφιπολείῳ τάδε· χάλκιον θερμαντήριον α. χερόνιπτρον α. φιάλα β. πελεκὺς α. μόχλος α. μαχαίρια γ. κλίνα β. χάλκιον ἐγλουτήριον α. ἀρύστιχος α. ἠθμὸς α.

Est

---

a) Schellingius, qui eam inscriptionem vernacule reddidit, *ἔξω γῆς* legisse videtur. At vereor, ne marmore ipse inspecto suam hanc interpretationem repudiaturus sit. Num putat, forcipes intra terram defossas fuisse?

b) *ἕδος αὐτὸ τὸ ἄγαλμα.* Lex. Seg. p. 246.: in lectulis fortasse Aeacidae ex Aeaceo pompis allati reclinabantur, ut Aiax cum panoplia apud Athenienses. (Schol. Pind. N. II, 19.)

c) *Δίφροι ἀνάκλισιν ἔχοντες* non sunt plicatiles, ut Schelling. interpretatur (*ὀκλαδίαι*, sellae *ταπειναὶ* et circumforaneae: quanquam in templo Poliadis Atticae tale scabellum erat, opus Daedaleum): sed *κλισμοί, δ. ἀνάκλιτοι, ἀνακλιντήρια.* V. Chimentel. Marm. Pisan. in honor. Bisellii. p. 141.

Est vero ea inscriptio recensionis omnium in templo supellectilium extrema pars: in qua ferramenta dinumerantur, tum lignea, postremo quae in sacerdotum conclavi collocata erant. — Sed memoranda dialecti in eo lapide cum palaeographia vehemens controversia. Quodsi enim litterarum Ξ et Σ forma, maximeque O simplex pro OY positum aetatem exigunt centesimâ certe Olymp. priorem; veruntamen, cum inscriptio supra recensita, et hac quidem specie multum ea recentior, Doriensem sermonem nondum penitus dereliquerit, et hanc oportebat referre eundem; quandoquidem Atticos e bello Peloponnesiaco ad M. Antonii triumviri usque aetatem Aeginam unquam tenuisse ignoratur: quominus autem de tempore cleruchorum Atticorum cogites, scriptura prohibet posteuclidea. Quid igitur? Aut dialectus Attica in res Aeginetarum privatas, quo fere haec pertinent, hospitiis et per inquilinos iam invecta erat, cum in decretis publicis aliquatenus certe usurpari nondum desiisset: aut veterem scribendi modum, alias licet dudum obsoletum, in inscriptionibus tamen in templo collocandis, minus passim festinanter missum factum esse dicemus.

A Panhellenio ad urbem conversi adimus **Aeaceum**, insigne coronis ludorum gymnicorum in vestibulo suspensis [d]) legatorumque illorum signis, vel anaglyphis potius prope introitum exsculptis [e]), denique ipsorum Aeacidarum simulacris, hic ut mea fert opinio asservatis. Pausaniae sane tempore Aeaceum iam vetustate oppressum iacebat: intus succreverant oleae; ara solo haud multum altior, quae sacro sermone ipsius herois sepulcrum tradebatur [f]). Namque Aeacus, Iovis et filius et sacerdos, omnibusque diis dilectissimus, iraeque caelestis idem deprecator, numen haud dubie Myrmidonum populo haud minus erat avitum quam ipsa sacra Iovialia, cum quibus in Aegina constitutum est [g]). Enimvero huius aliorumque

---

d) *πρόθυρα Αἰακοῦ.* Pind. N. V, 53. cf. Schol. Apoll. Rh. IV. 1770.

e) *ἐπειργασμένοι εἰσὶ κατὰ τὴν εἴσοδον οἱ παρὰ Αἰακὸν σταλέντες.* Paus. II, 29, 6.

f) Id. l. c. cf. III, 19, 3. Sed perperam Zoëga de obel. IV, 1. p. 366. Aeaci sepulcrum, coniecit, idem fuisse ac Iovis Panhellenii aram.

g) Quamvis ingeniosa sit Buttmanni (*Berlin. Monatschrift.* Mart. 1811. p. 173.) Aeaci cum Annaco Phryge comparatio (nisi fortasse mythum proprie Hellenicum ab omnibus Phrygo-Thracicis prorsus segregandum existimas): me tamen Aeacus aquilae filius, et vetus Aiacis de aquilâ etymologia, eaque Aeaci nomini multum aptior,

nonnullorum semonum in eo vertitur natura et significatio, quod vetus et popularis religio, dum cum ipso sacrorum populique fato in unum concrevit, historicum nacta est argumentum. Ipse inquam Aeacus, divinus gentis archageta, Hellaniorum et Aeaceorum Aeginae conditor fertur: sacrorum ita constitutio coaluit cum numine culto, et omnia quae de deprecatore Aeaco e memoria gentis tradita sunt, cum iis coniunguntur, quae de sedium mutatione gens reminiscitur; quae ultra sunt, referuntur ad deos. At prodit tamen divinam huius herois naturam fabula in iis maxime quae de mortuo narrat: ac primum, nullus dubito, quin Rhadamanthi instar, Iovis πάρεδρος fuerit; dehinc, ut apud Isocratem, inter inferos Diti patri et Proserpinae παρεδρεύειν dicitur; modo iudex, et quidem Platonis commento umbrarum Europaearum, fertur; modo, ut ab Apollodoro, τὰς κλεῖς τοῦ Ἅιδου φυλάττειν, ut quidem Lucianus ineptiens *portitorem* eum et *publicanum* appellare posset. Quibus Graeca festivitas varie illusit h). Sed nullus inter semones Aeaco, quem etiam Megarenses cum Iove Aphesio et Athenae oraculo iussae (nisi forte Aiantidae ea sacra huc detulerant) coluerunt i), et nominis celebritate et asyli religione sanctior.

Ab Aeaco originem ducebat regia Hellenum Phthiotarum stirps, Aeacidae, omnium heroum Graecanici nominis ii generosissimi, etiam sine Iliade. Neque Achilles universae tantum Thessaliae sacris sollennibus, sed ab omnibus etiam Doriensibus maximeque Lacedaemoniis neque a Tarentinis magis quam ab Eleis et Astypalaeatis, honoribus plerumque longe maioribus quam pro heroe, cultus est j). Omnes vero

---

eo adduxerunt, ut huic sacerdotis Iovialis atque avis homonymiae insistens, ipsum *Αἰακὸς* pro vetere quadam Dorica *αἰετοῦ* forma habeam.

h) Nihil nostra interest locos coacervare. V. Wessel. Obss. I, 3. p. 10. Heyne Exc. ad Aen. VI, 11. Gierig. ad Ov. Met. XIII, 25. Boettiger. Id. ad Pictur. vet. p. 98. adde Aristid. T. 1. p. 109. III, 314. 516. Steph. Byz. s. v. *Γάζα* (apud Gazenos Aeacus et Minois et Rhadamanthi frater dictus est) Anal. Brunck. III, 299. Epitaph. ap. Murator. T. 3. p. 1321, 10. Romani poetae etiam alia.

i) Herod. V, 89. cf. Meurs. Ath. Opp. I, p. 176. Hesychio vix lenior medicina adhiberi potest, quam haec: *Αἰάκειον· τὸ Αἰακοῦ τέμενος. καὶ Ἀθήνησι.* Corruptius etiam Lex. Seg. p. 360. Quanquam utrobique et haec glossa est: *Αἰάκειον, οὗ φασὶν Αἰακὸν οἰκῆσαι.* Lex. Seguer. p. 212.

j) V. Od. *Λ*, 484. Arist. mirab. ausc. c. 114. p. 235. Beckm. Paus. III, 20, 8. 24, 4. VI, 23, 2. X, 13, 3. Cic. de N. D. III, 18, 45. Philostr. Heroic. 19. p. 743. Sed noli credere huic, Xerxis tempore ob Aeacidas pugnae Salaminiae socios Thessalos Medissantes sacra iis patrari solita intermisisse. Id argute mentitur.

Aeacidas (nisi Telamon cum filiis Salamini proprius erat), etiam Neoptolemum [k]) Aeginetae penates suos ac cives habebant, eosque tum Thebanis bello laborantibus, tum universis Graecis in proelio Salaminio opitulatum miserant [l]). Fuerintne ii sigilla pedalia, qualibus et navium et aedium et urbium custodiam veteres tradere solebant, an simulacra speciei humanae et armis induta, sunt qui credant, sunt qui abnuant. De cineribus certe cogitare subabsurdum est [m]). Verum consimili ratione Locri Italiotae ab Opuntiis Aiacem Oilei, a Spartiatis ad proelium Sagrense Dioscuros mutuati sunt [n]): qui ut ipsi locum in acie explere putabantur, umbrae instar Cimonis Aiantidae: sic etiam Aeacidas proelio Salaminio affuisse, Peloponnesiis saltem persuasissimum erat. Quod vero universum Graecorum exercitum, ut illos precibus sollennibus et triremi Aeginam missâ arcesseret, permoverit: id quidem nonnulli putarunt fabulam fuisse de Aeaci sacris Panhelleniis: permiro errore ut qui fabulam non sine hac Salaminia Panhellenum societate ortam, eâdem tamen priorem statuerent. Contra Aeacidae, stirps quae ab ipsa heroum exterorum affinitate et connubio seiungitur, et inter omnes sola Hellenica videbatur et erat, neque inter heroes Graecorum alii ulli, ab Ionibus unâ et Doriensibus Atticisque in auxilium poterant acciri.

§. 6. Aphaea. Damia et Auxesia. Hecataea.

Seorsum ab urbe situm erat fanum et lucus Aphaeae, Pindari carmine deperdito celebratae [o]), quam Pausanias et omnes consentiunt eandem esse, ac Cretensium Britomartim sive Dictynnam [p]). Quid igitur? nonne si Aphaeae tam exigua memoria superstes est, iam refugiendum erit

---

k) V. Aristodem. in Schol. ad. Pind. N. VII, 123. Cf. ad I. IV, 33. sq.

l) V. locos p. 115. 123. laudatos. Quo satis refutatur Iac. Gronovii, mancipii membranae Mediceae, *συμπείθειν* pro *συμπέμπειν* ap. Herod V, 80. Sunt *σύμμαχοι, ἐπίκουροι, ἐπίκλητοι, παρακεκλημένοι.*

m) R. Reineccius d. r. Aeacidarum, Synt. T. 2. p. 497. posteros Crotonis et Alcimi (Alcinoi), *Aeaci* filiorum, in Thebanorum auxilium missos esse opinatur. *Phaeacis* inquam. Quod supra (p. 22, n.) uno verbo removimus. Alii alia nugantur.

n) V. Paus. III, 19. 11. Conon 18. Hermias ad Plat. Phaedr. p. 33, 17. Bekker. Zenob. Prov. II, 17. Cf. Wessel. ad. Her. V, 80.

o) Paus. II. 30, 3. Schneider. fragm. Prosod. IV, p. 47. Heyne.

p) Antonin. Lib. 40. Etym. M. s. v. *Βριτομ.* Hesych. *Ἀφαία,* ubi scr.: *Ἀφ. ἡ Δικτυνναία Ἄρτεμις.*

ad Cretensium sacra Dictynnaea, quaestionem haud levem, necdum plane expeditam, quanquam haud pauci adhuc in ea impense lucubrati sunt [q]).

Nemo, Britomartim numen esse Cretense, unquam dubitavit [r]): quin immo prodit nominis origo, si modo sinceram attulit Solinus. *Cretes Dianam religiosissime venerari, Britomartin gentiliter nominantes, quod sermone nostro sonet virginem dulcem.* c. XI, p. 21. [s]) Quae vera arbitror, quandoquidem *βρὶς* (*βρίτυς*, *βρῖτος*) etiam Cornuto ad Persium (I, 76.), Neanthe in Etymologico et Hesychio testibus dulce significat [t]), atque veriora, quam quae Etymologus s. v. Βριτόμαρτις· ὅτι ταῖς Βρίσαις νύμφαις ὁμαρτεῖ, quae potius ad Aristaei religiones Ceas pertinent. Enimvero argutias captant et Casaubonus, virginem ὅμαρτιν παρὰ τὸ ὁμαρτεῖν τῇ μητρὶ dicens, et Salmasius, qui cum Bocharto μάρτις ad Hesychii μορτός, ἄνθρωπος, refert: apparet contra, μάρτιν idem verbum esse ac μάρναν, quo nomine Cretensium virgines appellari, testis est Steph. Byzantius [u]). Verum Britomartim numen esse genuine Creticum, arguit etiam coniunctio cum fabulis Cretensium popularibus. Natam scribit Diodorus V, 76. in urbe Cretensi, *Caeno*, quam, cum nusquam alibi occurrat, Verheyk. (ad Antonin. Lib. 40. p. 226.) emendatione (ἐν κευθμῶνι τῆς Κρήτης) tollit, sed quot Cretae oppida recensuit Meursius, quae nonnisi unico in loco obvia sunt: filiam fuisse, idem et Pausanias cum Virgilio (Cir. v. 220.) Iovis e *Carme*, filia *Eubuli*, herois Cretae notissimi. Affirmant itidem sacra per Cretam vetustissima. Inter principes civitatis deos Britomartim invocant Latii in iureiurando (ap. Chishull. Antt. As. p. 136); Cherrhonesi, Lyttiorum in navali, cultam tradunt Strabo et Plutarchus [v]), in numis deprehendit Eckhelius (D. N. II, p. 306.); apud finitimos Phalasarnenses eadem sacra me-

---

q) Paul. Leopard. Emd. X, 24. p. 206. in Grut. Lamp. III. Salmas. ad Solin. p. 171. sq. Casaub. ad Str. p. 198. Scaliger ad Catal. p. 69.. Lugd. Bat. 617. Spanhem. ad Call. in Dian. v. 205. sq. p. 305 — 20. Ern. Meurs. Cretâ IV, 3. p. 202. Heyne Exc. ad Virg. Cir. V. V, p. 202. (IV, 137.) et alii.

r) *Βριτ. ἐν Κρήτῃ ἡ Ἄρτεμις.* Hesych. Diogenian. ap. Schol. ad Call. v. 190.

s) Cf. Proserpina *μελιτώδης* (*Melissae*). V. Theocr. XV, 94. Schol. Pind. P. IV, 104.

t) Affinis Bacchus *Βρισαῖος* (Etym. M.) et *brisa uvarum subactarum massa.* Colum. de R. R. 12, 39.

u) s. v. *Γάζα.* Adversantur ei Holstenius, et Salmas. l. c. et hist. August. p. 202.

v) de virt. mul. p. 247. Str. X, p. 479. c.

morat Dicaearchus (Cr. v. 11.); Olunte vetus deae ξόανον Daedaleum esse, haud dubitat Pausanias (IX, 40, 2.): ac prae omnibus celebratur eius fanum Polyrrhenitanum, antiquissimum, praedives, canibus feris tutum, religione tam sancta septum, ut vix pedibus nudis intrare licuerit [w]).

Huic igitur Cretensium veteri atque indigenae deae omnium fere consensus eandem dicit Dictynnam, nomine, si Virgilii et Cornuti Lunam δικτίννην radiatamve [x]) iure negligimus, a δικτύοις derivato. Ita iam Aristophanes (Vesp. v. 376.): eodem fabulae spectant de dea retibus excepta: nec nisi insulsus Diodorus cassem venatorium inventum advocare poterat. Quae si constant: quid sibi vult Herodotus (III, 59)? Σάμιοι Κυδωνίην τὴν ἐν Κρήτῃ ἔκτισαν· ἔμειναν δ' ἐν ταύτῃ καὶ εὐδαιμόνησαν ἐπ' ἔτεα πέντε, ὥστε τὰ ἱρὰ τὰ ἐν Κυδωνίῃ ἐόντα νῦν οὗτοί εἰσι οἱ ποιήσαντες καὶ τὸν τῆς Δικτύνης νηόν, manifeste Dictynnae sacrorum originem a Samiis auctoribus repetens. Nam profecto Cretici numinis templum exstruere illi minus maturassent. Utrius igitur auctoritatem spernemus, utrum Herodoti? an potius inficeti ad Aristophanem (Ran. 1402.) Scholii: *Britomartim nympham Dianae Dictynnae fanum exstruxisse*, similesque istiusmodi nugas?

Etiam haec reputemus. A Criu metopo ad Cadiscum Cretae promontorium proficiscenti primum obvii Cherrhonesii, mox Polyrrhenii, vicini Phalasarnenses: Cadiscum autem circumflectens confestim appellis ad Dictynnaeum, omnia veterum Cydonum loca [y]): neque sanctiora alias sacra ea quam apud ipsos Cydoniatas. Horum in numis frequens insigne [z]): hic proprie audit Dictynna, ut fanum deae in Tityro monte promontoriumque Dictynnaeum Dictyniumve probant [a]), hinc ipsa Ἄρτεμις Κυδωνιὰς nuncupatur [b]). Quid igitur? Cydoniam appulisse scimus Samios et sicut fas est Dictynnae, deae suae, templum magnificum exstruxisse: Samios exegerunt Aeginetae, eandemque, quam Samii Dictynnam, nomine et numine sibi

---

w) Str. 479. b. Philostr. V. Apoll. Tyan. VIII, 12. p. 429. Num. ap. Khell. App. alt. ad Gesn. p. 113.

x) Eam sententiam adoptavit Spanhemius et adoptet quivis, qui Dictynnam Lunam putat, et nihil ultra.

y) Staphyl. ap. Strab. 475. d. cf. Od. *Γ*, 292. *Τ*, 176.

z) Pellerin. Rec. T. I. pl. 99. n. 35.

a) unde et urbem *Dictynnam* sibi finxit Pompon. Mel. II, 7. de qua Tzschucke T. II, 11. p. 552. V. Str. X, p. 479. a. Plin. III, 20. Solin. c. 11. Arg. ad Pind. P. I.

b) ut ap. Orpheum Hymn. in Dian. 12.

proprio, dixerunt **Aphaeam**: Cydones autem et in ipsa urbe et circumquaque habitantes **Britomartim**: ita enim gentes, quoquo d*eniunt, sua agnoscunt numina patria. Quare equidem Britomartim deam esse existimo reapse Cretensem, et Dictynnam Samiam c), Aphaeamque utique Aeginaeam, neque eas nisi in sacris Cydoniatarum omnes coaluisse. Nec tamen posteris temporibus Britomartim infitior etiam Dictynnae nomine per urbes Cretae cultam esse. Ambigue quidem, et ita, ut Dictynnam cognomen esse illaticium perspiciatur, Diodorus (V, 76.) et Pausanias (II, 30, 3.); sed etiam ad Polyrrhenios, ad Phalasarnenses idem nomen evagatum esse videtur: neque mirum, Palaephatum (fb. 32.) et Appuleium (Met. XI, p. 763.) Cretensium Dianam Dictynnam nuncupare, cum in ipsis numis, quos ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ sub Traiano et Hadriano percussit, aversa parte ΔΙΚΤΥΝΝΑ ΚΡΗΤ. appareat d). Sic inter ipsos potissimum Cydoniatas fabula exculta est, quam primus exhibuit Callimachus e): *Cervicidam olim Britomartim, nympham Gortynidem* f), *cum eam Minos, amore perculsus, novem per menses insecutus esset, in mare desilientem, piscatorum in retia decidisse: unde Cydones nympham appellassent Dictynnam, montem autem, quo desiluerit, Dictaeum.* In quibus Dictaei cum Dictynnaeo permutati, quem errorem iam Strabo coarguit (X, 479. a), quamvis defendente Salmasio, neque Callimachus absolvi potest, neque fidus Alexandrinorum imitator Virgilius. Rixatur cum fabula etiam Diodorus; quem tamen refellere nostra non refert.

A Cydoniatis autem ea trium dearum sacra facili transito migraverunt in Laconiam, ubi fanum Dictynnae Dianamque Aeginaeam Pausanias et numi indicant g). Hinc Dianam Dictynnaeam Amphryssenses in Phocide ante omnes deos colunt, signum autem vidit Pausanias (X, 36, 3.)

---

c) Advocamus maxime Icariae, insulae, quam postea plerumque Samii tenebant (Str. X, 488.) et proprie *Ichthyusae* dictae (Heracl. Pont. 40.) sacra Dianae Tauropolia. Ac, si Pausanias Samum descripsisset, etiam de Dictynnaeis Samiis aliquid, credo, compertum haberemus.

d) Spanh. p. 319. Add. Apostol. Prov. VI, 44. p. 69.

e) in Dian. v. 189. Consentiunt fere cum eo praeter Virgilium Paus. II, 30, 3. Claudian. Sec. Cons. Stil. v. 302. Nonn. 33. p. 838. Lutat. ad Stat. Theb. IX, 632. Schol. Eurip. Hippol. 146. 1130. Ineptissima proferunt Schol. ad Arist. Ran. 1402. Apostol. Cent. VII, 12. p. 79.

f) quod temere poeta pro *Cydoniadem* vel *Cretensem*.

g) Paus. III, 12, 7. 14, 2. 24, 6. Neumann. N. Ined. p. 240. cf. Meurs. Gr. Fer. II. p. 95. *ΑΦΑΙΑ* nomen Peloponnesiacum, sacerdotis Spartanae est in inscr. Fourmont. Act. Acad. Paris. T. 23. p. 401.

artis Aeginaeae opus nigroque lapide confectum. Inscriptio Massiliensis est: ΘΕΑ ΔΙΚΤΥΝνη ΔΗΜΟΣ ΜΑΣΣαλιητων h). Et ut quidem Plutarchus Ἀρτέμιδός γε Δικτύννης ἱερὰ καὶ βωμοὶ παρὰ πολλοῖς Ἕλλησίν εἰσιν i). Haec fere spectant Virgilii (v. 290.) *Carmen patriâ profugam in longinquas terras aufugisse*, duplicem eiusdem de dea fabulam memorantis, alteram de Dictynna Cretensium, alteram de Aphaea fugiente Aeginetarum; haec sermo Antonini Liberalis: *Britomartim, filiam Carmes, genitae Phoenici e Cassiepia Arabii, e Phoenicia venisse Argos ibique apud Erasini filias moratam, Laphriae nomine abiisse in Cephalleniam, Britomartis in Cretam: unde Minoem fugiens cum Andromede nauta Aeginam navigasse, et ab hoc violata in luco Dianae in aures evanuisse, Aphaeaeque sacris coli coepta esse dicitur.* Quanquam velim Antoninus praeter ceteras non immiscuerit Laphriam Cephallenensem, deam Aetolorum, et Aetolorum barbaro ritu cultam: qui eam Messeniae l), Patris Achaicis m), atque etiam Cephalleniae intulerant. Consimilis autem huic sermo Cherrhonesiorum. Qui signum Dianae Brauronium a Tyrrhenis Lemnum devectum, et inde in Cretam delatum, atque cum terror nocturnus illos in mare repulisset, apud se relictum esse gloriabantur. In quo Samiorum de Iunone, nam et hanc Tyrrheni rapuerant, ἱερὸν λόγον quis non agnoscit?

At quid rebus apertis diutius immoramur? nonne potius, quae ipsa numinis huius significatio, qui apertior, qui occultior sensus sit, iam considerandum erit?

Fabula Alexandrina quanquam Britomartim vel Dictynnam Dianae, more pervulgato, ut nympham inferiorem deae Olympiae subiungit: non tamen ita antiquiores. Neque enim Euripidi (Hippol. 145. 1130.) qui omnium primus eius meminit, ἁ πολύθηρος Δίκτυννα, neque Aristophani (Ran. 1402.) Δίκτυννα παῖς Ἄρτεμις καλὰ alia est quam Diana ipsa: neque in iureiurando Latiorum: ΟΜΝΥΩ — ΤΑΝ ΛΑΤΩΝ ΚΑΙ ΑΡΤΕΜΙΝ — ΚΑΙ ΤΑΝ ΕΛΕΥΣΙΝΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΒΡΙΤΟΜΑΡΤΙΝ ΚΑΙ ΕΡΜΑΝ ΚΑΙ ΚΩΡΗΤΑΣ, Dianae ut nympha, sed ut nu-

---

h) Sic suppleo. *ΔΙΚΤΥΑ* nihil est. V. Act. Instituti Nation. Litterat. P. I, p. 170. sqq.

i) de Sol. Anim. p. 984. ubi cum Delphinio coniungitur. cf. Spanh. p. 320. In marmore Ephesio ap. Pocock. Inscr. 1, 3, 3. p. 35. Genserus (in Commtt. Gott. V, p. 19. 23.) mensem Graecorum *ΒριτοΜΑΡΤΕΙΣΙΟΝ* invenerat: esse vero *ΑρΤΕΜΙΣΙΟΝ* probat Muratorii, Corsini F. A. III, p. 449. et Chandleri I, p. 12. descriptio. Sacra Dictynnae e Phocide in Phocaeam et hinc Massiliam deducunt Viri Docti in Act. Instit. Nat. l. c.

l) Paus. IV. 31, 6. VII, 18, 6. sq.

m) ubi in nummis Eckhel. D. N. II, 257.

men magnum adiungitur. Et consentaneum Cretenses Britomartim et Dianam seiunctis sacris et nominibus colere, quippe hanc a Doriensibus acceptam, illam Cydonibus gentilem[n]): confudit tamen Dictynnam et Dianam non Isis Appuleiana solum, *me Phrygii*, dicens, *appellant Deam Matrem, Autochthones Attici Cecropiam Minervam, Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam*: sed Appuleio ipso futiliora Diodorus, eos nimirum reprehendens, quos consuetudo Britomartis cum Diana, ut idem numen haberent, induxerit.

Cultores autem Britomartis, Dictynnae, Aphaeae, et Cretenses et Samii et Aeginetae, populi sunt, prae ceteris marivagi. Longeque in mare prospicit Dictynnaeum, ubi dea morari credita: huius e regione mari circumluitur Taenarum. Et ita Pausanias (III, 14, 2.) Spartae urbis templa recensens: προελθοῦσι Ταινάρου μνῆμά ἐστι. θεῶν δὲ ἱερὰ Ποσειδῶνός ἐστιν Ἱπποκουρίου καὶ Ἀρτέμιδος Αἰγιναίας. ἱερόν. ἐπανελθοῦσι δὲ ὀπίσω ἐστὶν Ἀρτέμιδος Ἰσσωρίας ἱερόν· ἐπονομάζουσι δὲ αὐτὴν καὶ Λιμναίαν, οὖσαν οὐκ Ἄρτεμιν, Βριτόμαρτιν δὲ τὴν Κρητῶν. Scite utique et pie Lacedaemonii coetum istum numinum marinorum congregaverant. Sunt enim ii omnes dii Taenarii. Nam etiam Issoria Theutronae ad Taenarum colitur[o]): neque longe abest Hypsos vicus, ubi in promontorio Dictynnae, festo quotannis die celebratae, templum vidit Pausanias. (III, 24. 6.) In quibus mire nos iuvat poëtae cuiusdam ap. Plutarchum[p]) fragmentum: ὃς πολλῆς μὲν ἐνάλου πολλῆς δὲ ὀρείου πολλάκις ἄγρας ἀκροθινίοις ἀγλαΐσας τὴν ἀγροτέραν ἅμα θεὸν καὶ Δίκτυνναν. Et iam ad mysticam numinis potestatem trahit nos Hippolytus Euripideus (v. 145.). Chorus enim, ubi, utrum a Pane ambigit, an ab Hecate Corybantibusve atque Cybele Phaedra exagitetur: σὺ δ' ἀμφὶ τὰν πολύθηρον, ait, Δίκτυνναν ἀμπλακίαις ἀνίερος ἀθύτων πελάνων τρύχῃ. φοιτᾷ γὰρ καὶ διὰ λίμνας χέρσον θ' ὑπὲρ πελάγους δίναισι νοτίας ἅλμας[q]). In ipsa autem Cretica de Britomarti fabula nonne sacrorum mysticorum aperta conspiciuntur vestigia? Neptis dicitur Eubuli, si Diodoro (V, 76.) fides est, filii Cereris: Eubuli autem denominatio in poësi, quam Orphicam dicere solemus[r]), nonnisi vitae principiis primisque rerum germinibus, e

---

n) Pausanias loco infra laudando: οὖσαν οὐκ Ἄρτεμιν, Βριτόμαρτιν δέ. Unde factum, ut Britomartis nympha Dictynnae diceretur, ut in Schol. Aristoph. l. l. Cum Aristaeo et Hercule Britomartim componit ille VIII, 2, 2.

o) Paus. III, 25, 3. Nomen habet ab Issorio promontorio. Hesych. et Steph. Byz.

p) de solert. anim. p. 965. IV, p. 917. Wyttb. Cf. Nonn. l. l.

q) Cf. Eurip. in *Cretensibus* derisus ab Aristoph. Ran. 1402.

r) Aliter Pindarus, de diis marinis, de Nereo P. III, 92. de Thetide I. VII, 32. de Themide Clem. Alex. Strom. V, p. 731. P.

nocte primaeva prodeuntibus, Phaneti, Adonidi, Baccho, Plutoni et Pluto [s]), maxime Cyrbanti [t]), tribuitur: ita denique Eubuleus Pausaniae (I, 14, 2.) Triptolemi frater, Ciceroni (de nat. deor. III, 21.) unus e Tritopatoribus dicitur. Britomartim ipsam Minos per novem menses vel totidem dies insectatur, idem qui per novem annos apud Iovem versatus erat [u]). Desilit tandem in mare, ut Glaucus Anthedonius, Halia Rhodiorum, Ino Thebana. Indeque ipsi peraguntur sacra, ut Callimachus ait (v. 199.) piceis et lentisci coronis, μύρτοιο δὲ χεῖρες ἄθικτοι, maxime puto [v]), ad eam religionum harum maestitiam, quam etiam fabulae commemoratae innuunt, significandam. Quemadmodum enim Euripides nos de Hecate commonuit [w]), cum qua aperte Dictynnam coniungit Orphicus (in Dian. v. 12.)

Δρυμονία σκυλακῖτι Κυδωνιὰς αἰολόμορφε

ita magnopere memorandus est sermo sacer a Neanthe primo *de initiis* relatus: *vaticinium Iovi esse fusum: qui puer ex Hecatae matre nasceretur, ab eo ipsum regno deiectum iri: nascente autem Hecate virgines lectum circumstantes, fauste,* βρίτιον, *exclamasse: hinc dictam esse Britomartim* [x]). Qui per Thetidis marinae nuptias etiam in vulgatam mythologiam delatus est.

Quin iam redimus ad nomen, unde orsi sumus, Ἀφαίας. Ἀφανῆ γενομένην ἀφιέρωσαν οἱ Αἰγινῆται καὶ ὠνόμασαν Ἀφαίαν [y]). Numen evanescens. Quae qui secum tacite perpenderit, isque veterum Deliacorum numinum memor, non dubitabit, magnum numen, quod inter homines olim descendisse, fugisse autem Titanio scelere, quaevis clamat fabula, idque Λήτω primum sive Ἄδηλον, noctem primaevam,

---

s) Fragm. VII, 4. Hymn. XVIII, 12. XXX, 6. LII, 4. LVI, 3. Hesych. s. v.

t) Is enim est H. XLI. 8. Antaeae matris filius, αἱμαχθεὶς κασιγνήτων ὑπὸ δισσῶν. XXXIX, 6.

u) Callim. l. l. Schol. Eurip. Hippol. 1130. Cf. Boeckh. ad Plat. Min. p. 60. sq.

v) Quamvis variae sint intpp. sententiae. Est et *Δίκτυννα λοχεία* (Orph. v. 3.) quam in numis Cretae conspici, iam monuit Spanhemius p. 319. Adde Nonn. VIII, v. 178. Cf. Eckhel. D. N. II, 303. Creuzer. Symb. II, p. 142.

w) ad q. l. iam Scholia advocant Hesiodum Theog. v. 413.

x) Ita ex emendatione: *χρησμὸν Διῒ δοθῆναι, ὅτι ἐκ τῆς μητρὸς Ἑκάτης γεννησόμενος* (aut quod magis oraculi effatum sonat: *τῆς μήτρας τῆς μητρὸς τ.*) *μεταστήσει τῆς βασιλείας αὐτόν. γεννηθείσης δὲ τῆς Ἑκάτης κ. τ. λ.*

y) Vossius ad Hesych. ab *ἀφαῖς* (ut Orthiam): Vulcanius ad Call. 197. *παρὰ τὸ ἀφεθῆναι*, neuter apte. *Ἑκάτην Ἀφθαίαν* habet Steph. Byz. s. v. *Ἄφθαλα*.

postea Ἀστερίαν, Δῆλον, lucem inde effulgentem, Ἀφαίαν denique nominatam esse (Ἑκάτην) reditum in tenebras. Quid si circa haec versabatur vetusta Deliorum religio, per Cycladas quondam celebrata antequam a Doriensibus et Ionibus occuparentur, eaque Apollinis quidem et Dianae sacris obsoleta, sed tamen priscis cognominibus et caerimoniis perspicue prodita? *Iridem* in parva ad Delum insula, *Hecatesneso* dicta, basyniis placentulis placari solitam, tradidit Semus in Deliade [z]): Aphaeae opposita est *Anaphe*, Apollinis Αἰγλήτου, dei qui illucescit, insula, eademque immo ipsius Deli vetus nomen [a]).

Inter Dictynnam autem et Delphinium interiorem sacrorum coniunctionem arguere videntur sacra utriusque numinis tum in Phocide, tum Massiliae, tum in Creta, et Aeginae iuncta: ita ut Delphinius nonnisi eiusdem numinis mascula videatur efformatio [b]).

Transimus ad **Damiam** et **Auxesiam** [c]). Quae numina postquam Kuhnius (ad Pollucem VII, 106.) Thallo et Auxo putaverat, quippe quae ad inopiam summovendam cultae essent: iam Valckenarius (ad Herod. V, 82.), isque maxime Scholii ad Aristidem (III, p. 309.) auctoritati innisus, deas nostras Cereri ac Proserpinae easdem dixit: et recte si modo deas Peloponneso proprias Atticis comparare licet. Quam ad sententiam iam attulit Pausaniam (II, 30, 5.), se ipsis Eleusinio ritu sacra fecisse, testem: et ipse potissimum Herodotus (V. 83.), quem impietatis tecte insimulavit Pausanias, caerimonias illas Eleusiniorum γεφυρισμοῖς consimiles ita describit: ἱδρυσάμενοι δὲ Αἰγινῆται ἀγάλματα, θυσίῃσί τέ σφεα καὶ χοροῖσι γυναικηΐοισι κερ-

---

z) B. ap. Athen. XV, 645. quam ipsam esse Hecaten, ex eodem Semo *Δηλ.* A. et Phanodemo ap. Harpocr. et Suid. s. v. *Ἑκατ. νῆσ.* cognoscitur. Siebel. p. 6. De *Brizo* Deliâ, ut naves servaret, cultâ, v. Spanh. in Call. in Del. v. 316.

a) Spanh. l. l. v. 53. Ruhnk. Epist. Crit. II, p. 274. Excc. Deliac. in Obss. Miscc. VII, p. 82. Larcher. Act. Ac. Inscr. T. 45, p. 426. 47, 286. Quae sacra eodem iure Argonauticis immista sunt, quo *Hydrophoria* nostra.

b) Neque inepte annotatum est, unam Delphini sideris stellam appellari Dictym. Act. Inst. Nat. p. 176.

c) Cf. Meurs. Gr. Fer. L. II, p. 80. 197. Larcher. ad Herod. T. IV, p. 333. in Act. Ac. Inscr. T. 48, p. 308. Creuzer. Symb. IV, 50. — Ita scribunt Herod. et Themist. Or. IV, 54. Pausan. contra II, 30, 5. 32, 2. errore ut videtur antiquo *Λάμιαν* (Libyssa est, Herophiles Sibyllae mater. v. Fac. ad Paus. X, 12, 3. Scyllae matrem novit Stesichor. ap. Schol. Ap. Rh. IV, 828. Suid. s. v.) Schol. in Arist. Panath. p. 268. *Ταμίαν*, tanquam distributricem.

τόμοισι ἱλάσκοντο, χορηγῶν ἀποδεικνυμένων ἑκατέρῃ τῶν δαιμόνων δέκα ἀνδρῶν. κακῶς δὲ ἠγόρευον οἱ χοροὶ ἄνδρα μὲν οὐδένα, τὰς δὲ ἐπιχωρίας γυναῖκας. ἦσαν δὲ καὶ τοῖσι Ἐπιδαυρίοισι αἱ τοιαῦται ἱρουργίαι, εἰσὶ δέ σφι καὶ ἄῤῥητοι ἱρουργίαι. Qua enim ratione quove consilio Aeginetae ea signa Epidauriis erepta Oeae, ubi etiam Pausanias ea vidisse videtur, collocaverint, iam supra enarratum est.

Sed alius sermo sacer Troezeniis [d]: *Damiam et Auxesiam virgines, cum e Creta Troezenem venissent, in civitatis seditione et tumultu lapidatione periisse: hinc sollenniter ipsis peragi* Λιθοβολίαν. Fabula memoranda, tum ob Cretensium commemorationem, tum ob mysterium in mythum conversum. Et conferendus est Zenobius (IV, 20.) quem ita emendo: Ἡ Δάμια τὴν Αὐξησίαν [e]) μετῆλθεν. ἱστορεῖ Δίδυμος, ὅτι Δάμια μὲν ἡ Δημήτηρ παρὰ Τροιζηνίοις προσαγορεύεται· Αὐξησία δὲ ἡ Κόρη. ἀπὸ γοῦν τῆς ἱστορίας ἡ παροιμία προήχθη. λέγεται δὲ ἐπὶ τῶν πολυχρονίῳ ζητήσει χρωμένων κ. τ. λ.

Quae vero Valckenarius addidit, Δαμίην dici, quae δήμῳ fruges praebeat, et Αὐξησίην, quae alimenta: ex his illud quidem [f]) eum falsissimum dixisse, iam inde colligeris, quod Herodoto tum appellanda fuerit Δημίη: quo et refelluntur, quae Meursius s. v. Δάμεια nugatus est: libentius Damnamenei Idaei meminerim, etiam in verbis Ephesiis, Acmoni id est Caelo oppositi [g]). Est vero *Damia* vox qua et Romanos Magnam Deam adorasse testis est Macrobius (Sat. I, 12.). Rectius fortasse Festus s. v. Damium, p. 113. *Damium sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonae Deae. — Dea quoque ipsa Damia et sacerdos eius Damiatrix appellabatur.* Similiter, si Hesychio credimus, Δάμεια ἑορτὴ παρὰ Ταραντίνοις. Quin etiam apud Lacedaemonios, nisi Tarentini ea sacra ex Italis acceperant. Addendus etiam Philoxeni Glossa: *Damium*, θυσία ὑπαίθριος γιγνομένη. Cui adversari videntur Festi: *in operto*, et quae perabsurde adiicit: *dictum a contrarietate.* Apud Aeginetas certe Damiae statua sub Iove collocata erat, quanquam εἶναί σφι καὶ ἀῤῥήτους ἱρουργίας affirmat Herodotus. Romanorum autem Damiam contulerunt cum Maia, idque recte, cum haec Πάντων Μαία, Mercurii Camili, quem Acusilaus Deorum Magnorum *patrem* dicit, mater, Cornelio Labeone

---

d) Ap. Pausan. II, 32, 2.

e) Zenob. ἡ Ἀμία τὴν Ἀξησίαν. Suid. Prov. I, 32, 2, 41. Ἀμαία. Hinc Plutarchus n. 41.

f) Auxesia certe nomen et Horae et Gratiae, quae Αὐξὼ dicitur, Paus. IX, 35. Poll. VIII, 106, referre videtur.

g) *ΔΑΜΝΕΥΣ* in numis Myrinaeis. Eckhel. D. N. II, p. 490. Affinis Proserpina Cyzicena *ΔΟΜΝΑ ΣΩΤΕΙΡΑ*. II, 452. VII, 197. Fortassis etiam *Δαμάτηρ* nihil est nisi *Δαμιαμάτηρ*.

apud Macrobim (I, 12.) teste, Dea Magna sit, *eademque*, ut ait, *Bona Dea in sacris occultioribus culta.*

Quae nescio an satis probaverint, in religionibus Damiae et Auxesiae superesse fragmentum doctrinae vetustissimae, quod ut cum Eleusiniis et Samothraciis aptum est et coniunctum, ita, si quid aliud, mysteria Peloponnesi cum Italicis artissime connectit. Quid enim mysteria sunt, nisi sacrorum, quae olim per totam Graeciam evulgata fuerant, irrumpente e septentrione feriori populo, disiectorum fragmenta quaedam, quae apud gentes quasdam passim delituerant?

Addimus inscriptiones duas ap. Gruterum p. CCCIX. n. 2. et 3, alteram Romae in Aede ss. Apostolorum, alteram Beneventi in Samnitibus repertam [h]). Hanc exhibemus:

FABIAE. ACONIAE. PAVLLINAE. C. F.
FILIAE. ACONIS. CATVLINI. V. C.
EX. PRAEF. ET. CONSVLIS. ORDIN.
VXORI. VETTI. PRAETEXTATI. V. C.
PRAEF. ET. CONSVLIS. DESIGNATI
SACRATAE. APVD. ELEVSINAM
DEO. BACCHO. CERERI. ET. CORAE
SACRATAE. APVD. LAERNAM. DEO
LIBERO. ET. CERERI. ET. CORAE
SACRATAE. APVD. AEGYNAM
DEABVS. TAVROBOLITAE. ISIACAE
HIEROPHANTRIAE. DEAE. HECATAE
GRAECO. SACRATAE. DEAE
CERERIS.

Ubi notandus Scaliger in indice operis Gruteriani Taurobolitam inter deas referens, isque iam notatus a Salmasio (ad Lamprid. p. 804.) cui tamen, in utraque inscriptione *Tauroboliatae* scribendum esse, haud assenserim [i]). Quae cum constent: ita in marmore nostro interpungimus: *Fabiae Aconiae Paullinae — sacratae apud Eleusinam Deo Baccho, Cereri et Corae, sacratae apud Lernam Deo Libero et Cereri et Corae, sacratae apud Aeginam Deabus, Taurobolitae, Isiacae, hierophantriae Deae Hecatae, Graeco* (sc. ritu) *sacratae Deae Cereris* [k]). Nomina igitur Dearum nostrarum silentio premuntur. Sunt autem Damia et Auxesia, fortasse etiam Hecate. Unde apparet, cum F. Aconius Catulinus, pater Aconiae huius et socer Vetti Agorii, Proconsulis

h) Adde etiam n. 4. et p. MLXIII, 9.

i) De voce cf. maxime Oderici Dissert. p. 154. sq.

k) Cf. Vandal. Dissert. I, c. 7. p. 89. Oderic. Syll. Inscr. p. 182.

Achaiae, Consul fuerit a. p. C. CCCXLIX [1]), religiones Damiae et Auxesiae etiam quarto post Christum saeculo magnopere floruisse.

Iam unus tantum Pausaniae de sacris Aeginaeis locus examinandus superesset. Est de Hecate dea, cuius templum cum deae ξοάνῳ supra memoravimus, de qua ille II, 30, 2. Θεῶν Αἰγινῆται τιμῶσιν Ἑκάτην μάλιστα καὶ τελετὴν ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος Ἑκάτης, Ὀρφέα σφίσι τὸν Θρᾷκα καταστήσασθαι τὴν τελετὴν λέγοντες, eundem Orpheum, qui universe invenisse τελετὰς dicitur. Perennis igitur initiatio. Postea, cum senectus Graecorum effoeta, superstitione nimiopere gliscente, in omnium orgiorum taeterrimam foeditatem delaberetur, etiam haec mysteria mirum quantum sanctimoniae et auctoritatis nacta sunt. Haec enim spectat Lucianus (de nav. c. 15.) irrisor eorum, qui in lintre quaternis pro singulo obolis conducto ad mysteria Hecates Aeginam vehuntur. Neque aliud quid compluscalis philosophiae sectatoribus apud Gellium N. A. II, 21. causa fuisse videtur in Aeginam tramittendi.

Ceterum in Aeginetarum Hecataeis omnia admodum obscura. Num et Ilithyia erat? nam et hanc in Aegina cultam esse, prodit Pindarus N. VII, 1.: Ἐλείθυια πάρεδρε Μοιρᾶν βαθυφρόνων — σὺν δὲ τὶν παῖς ὁ Θεαρίωνος ἀείδεται — πόλιν γὰρ οἰκεῖ Αἰακιδᾶν. Ἀγλαόγυιος Ἥβα autem, quam v. 4. Ilithyiae sororem nuncupat, si eadem est, quae N. VIII, 1. Ὥρα πότνια, nobis persuadere possit, etiam Phliasia Δίας, Ἥβης, Γανυμήδης sacra in Aeginam transiisse. Nescimus; et ab omni adhuc graviori disquisitione desistimus: si quidem haec disputatio in coloniis sacrorum magis, quam in ipsis sacris versari debebat.

Mire quidem affecti ex hac ambulatiuncula, tam diversis in tam exiguo insulae huius ambitu sacris perlustratis, dimittimur. Ubi enim vetusta peragebantur Hecates initia; numina Peloponnesia sacris Eleusiniis mediam insulam consecrabant; in Panhellenio numen Achaeorum patrium sancte observari non desierat; neque procul Aphaeae lucus reliquias religionum per mare olim Aegaeum disseminatarum complectebatur, quanquam etiam ceterorum Graecorum Diana fano haud carebat: ibidem Dorienses in ipso urbis foro sacra Apollinis, Iunonis Argivae, Epidaurii Aesculapii instituerant. Verumtamen numinum Aeginaeorum pleraque ad res navales conversa sunt:

---

1) V. Grut. CCCCLXXXVI, 3. MCII, 2. Donat. p. 78, 2. Monum. Patav. Sertorii Ursati I, 4. p. 163. Monum. Mattheiana T. III, 107.

iuvabat etiam inter veteres emporii frequentiam eximie, si quidpiam, sacrorum et pomparum sanctimonia et magnificentia; neque dubito, quin Posidoniis celeberrimus affuerit mercatus. Nec vero Phoenicibus tantum et Poenis, sed etiam Aeginetis, cuivis inquam mercatoriae et nauticae nationi, maestum quiddam in sacris singulare est, et supplicatio. Quin Aphaea tantum colitur e Delia illa divinitate: prostratae iacent in genua Damia et Auxesia: supplex Aeacus: Hydrophoriorum lugubris erat memoria: similia Delphinia, et Hecataea.

Neque dubium, in antiqua quavis civitate conciliationem quandam sacrorum exstitisse et artam consociationem, publicâ comprobatam auctoritate. Ne Atticorum quidem religionis temere permistae erant, ut qui Pythium interrogarant, *quaenam potissimum sacra tenerent:* nedum inter Dorienses, in summa earum rerum sanctimonia et religione. Hae erant augustae illae thearorum in *Pythio* Aeginaeo curae: similes fortasse ab origine Pythii Spartani, regum ii σύσσιτοι et σύσκηνοι: Pythium autem Delphicum commune dixerim universae Graeciae thearium. (Plat. Legg. VI, p. 428, 12. Bekk.)

Caput Quintum.

Extrema civitatis aetas.

§. 1. De pugna Cecryphalensi.

Bella Persica ut auctoritate Argivarum Thebanarumque partium fractâ, Lacedaemoniorum et Atheniensium vires auxerant: ita eadem tamen, horum de principatu lite excitatâ, totius Graeciae novum fecerant discidium. Iamque pluribus ante bellum Peloponnesiacum annis, cum omnis Graecia diversissimis fluctuaret seditionibus, perrupto iam dudum societatis adversus barbaros vinculo, universâque fere natione in Spartanam Atheniensiumque, optimatum et plebis, factionem subinde secedente: etiam ab Aeginetis et Atheniensibus rebellatum est. Nomen belli his dedit poliarchus, quem illi, muros struentium delatorem, Spartam miserant [a]).

Athenienses eo tempore Ol. LXXX, a. 2. adversos Epidaurios atque Corinthios, ut Diodorus quidem scribit, res feliciter gesserant. *Quo successu usi*, pergit, *Aeginetas tum f a u s t a b e l l o r u m f o r t u n a tumentes, tum a se abalienatos, debellandos esse decreverunt. Quapropter cum classem haud exiguam in eos ablegassent, Aeginetae proeliorum navalium experientia freti, ad triremes, quarum multas habebant, aliis insuper instructis proelio iusto congressi sunt: victi vero, navibusque septuaginta spoliati recesserunt* [b]). Et alibi, loco perquam importuno [c]), idem: *Eodem tempore Athenienses Aeginetis, qui defectionem moliti erant, devictis eorum urbem obsidione cinxerant. Ea enim civitas p r o e l i i s n a v a l i b u s saepe v i c t r i x opibusque et triremibus abundans ab Atheniensibus semper mente fuerat aliena.*

Quae pleniora apposui, ut inde Diodori ratio, quae ferme vulgata in historiis lectio est, appareret. Venisse Athenienses, congressos esse, vicisse. Nihilosecius, quae fuerit ista bellorum fausta fortuna, quae illa proelia, quibus Aeginetarum animus intumuerit, inquirendum erit. Primum ideo Thucydide duce proelia diversa exacte distinguamus.

---

a) Plut. Themist. c. 19. p. 121. Fr. b) Haec XI, 78.

c) XI, 70. nam eum locum Olympiadi LXXIX, 1. pravissime intrusum esse, nemo non intelligit.

Igitur ineunte Olymp. LXXX. anno altero ab Atheniensibus pugnatum est ad Halias cum Corinthiis et Epidauriis. Haec Thucydidis verba: *Ἀθηναίοις δὲ ναυσὶν ἀποβᾶσιν ἐς Ἁλιὰς πρὸς Κορινθίους καὶ Ἐπιδαυρίους μάχη ἐγένετο.* Vicisse Corinthios, quamvis Diodorus nescio a quo se decipi passus neget, testis est Thucydides (I, 105.) cum Trogo Iustiniano. (III, 6.) [d]) Huic pugnae an interfuerint Aeginetae, ignoro. Crediderim tamen, cum mox Aeginetarum fortuna labante eosdem Epidaurios et Corinthios ipsis succurrere videamus.

Sequitur altera pugna, navalis, ad Cecryphaliam, aliquot certe mensibus post Haliensem pugnata. Ita Thucydides: *καὶ ὕστερον Ἀθηναῖοι ἐναυμάχησαν ἐπὶ Κεκρυφαλείᾳ Πελοποννησίων ναυσί.* Qui ii Peloponnesii? Corinthii, puto, Epidaurii, Spartani, Aeginetae. Hi enim duobus annis ante, Lacedaemoniis adversus Hilotes tum forte seditionem molitos auxilia miserant: quae quamvis Thucydides (I, 102.) ubi de bello Ithomaeo agit, taceat, eadem tamen maximi esse habita a Lacedaemoniis, ex ipsius scriptoris (II, 27. IV, 56.) aliis locis discimus: atque coniunctissimos fuisse Aeginetas Peloponnesiis, si modo probari poscas, probabunt quae sequentur. Quae cum ita sint: num credi potest, sociis ipsorum ante ipsorum portas — sive Cecryphalia est promontorium, sive insula vicina — cum Atheniensium classe congressis, Aeginetas naves suas continuisse in portu? Nequaquam puto.

Iam spectemus pugnae eventum. *Ἐνίκων Ἀθηναῖοι* [e]). At quaeso, si Atheniensibus ut vincerent revera contigit, dic, quid eos impediverit, quominus ad Aeginam appellerent, urbem sibi infestam invisamque oppugnarent, diruerent? Cur re infecta redierint, socios denuo collegerint, recenti proelio decertandum decreverint? Et scrupulum iniiciunt Aeginetarum apud Diodorum *proelia navalia, faustaque in bellis fortuna* (*προγεγενημέναι πράξεις*) [f]): quae profecto neque ad pugnam Salaminiam quadraginta annos hisce priorem, neque ad victorias Persarum bello antiquiores traxeris? Sed apparet, proelii Cecryphalensis eventum certe fuisse ambiguum. Quibus si auctoritates desideras, en habes Ste-

---

d) Cf. Palmer. Excercit. p. 45. Intpp. Diod. XI, 78.

e) Thucyd. I, 105. quem in his sequuntur Diodor. XI, p. 282. Aristides T. I, p. 269.

f) Similiter Aristides I, 268. Athenas celebrat victrices, etiam *Αἰγινητῶν ἐναντία ναυμαχούντων, οὓς εἶναι τὰ ναυτικὰ πρώτους ἐν ἐκώλυσεν, ἡ πόλις πολὺ νικῶσα*: et nihilosecius belli navalis Aeginetarum inde a Persicis usque ad hoc tempus nulla est memoria superstes.

Stephanum Byzantium, cuius excerpta multiplicis lectionis vestigia haud spernenda servant, s. v. Κεκρυφάλεια, ἄκρα τις, περὶ ἣν ἐνίκησαν Αἰγινῆται Ἀθηναίους, non solum ab Aeginetis ad Cecryphaliam pugnatum, sed etiam Athenienses victos esse, probantem. Habes Andocidem (de pace cum Laced. p. 24.) ex quo sua oratorum deterrimus, Aeschines περὶ παραπρεσβείας (p. 51.), ad verbum deprompsit. Qui Athenienses semper pace, quam bello, fuisse validiores, demonstraturus, *tredecim post pacem cum Spartanis a Cimone effectam annis* παρεμπεσόντων, narrat, εἰς τὴν πολιτείαν ἡμῶν οὐκ ἐλευθέρων ἀνθρώπων καὶ τοῖς τρόποις οὐ μετρίων, πάλιν πρὸς Αἰγινήτας εἰς πόλεμον κατέστημεν, κἀνταῦθα οὐκ ὀλίγα βλαβέντες τῆς μὲν εἰρήνης ἐπεθυμήσαμεν κ. τ. λ.: quanquam in ea re orator tam multa mentitus est, ut ad verum indagandum non magnopere conferre videatur. Sed ipsa Thucydidis verba in summa brevitate suspicionem, Aeginetas belli Peloponnesiorum participes fuisse, magis movent, quam repellunt.

Idem vero nobis viam ad tempus Pindari inter Pythia carminis octavi definiendum solidasse, inversaque ratione ex hoc ipso carmine disputationi nostrae magnum subsidium accedere videtur. Nam Grammaticum Aristomenis Aeginetae victoriam in Pythiadem XXXV, quae in Olympiadis LXXXIII. annum tertium incidit, referentem magnopere errasse, tum ex aetate Pindari g), tum e statu reipublicae Aeginaeae demonstratum demonstrandumque est. Cum enim tempore carminis huius Aeginam liberam fuisse, ex illis (v. 103.) Αἴγινα, φίλα μᾶτερ, ἐλευθέρῳ στόλῳ πόλιν τάνδε κόμιζε, manifestum sit, Olympiadis vero octogesimae tertiae anno tertio Aeginam minime liberam fuisse constet, carmen hoc antea esse scriptum, nulla esse potest dubitatio. Larcherus igitur (Herod. VII, p. 657.) dum Corsinum, Pindari mortem victoriâ Aristomenis quinque annis priorem (illam Ol. LXXXII, 2, hanc LXXXIII, 3.) statuentem h), iure carpit, et ipse tamen de pueri Aeginaei corona Grammatico assensum suum denegare debuisse, iis, quae monuimus, manifeste convictus est.

Contra carminis nostri exordium Ἁσυχίαν φιλόφρονα, Δίκας μεγιστόπολιν θυγάτερα *pacis et belli claves supremas tenentem, ut Aristomenis coronam excipiat*, imprecans; id est, votum uti si κῶμος Pythone Aeginam devenerit, iam bello successerit pax; tum prima antistrophe, ubi eadem *pacis securitas contra malevolorum indolem violentam emicans eorum superbiam, ut dii Porphyrionem olim Typhoeumque, elusisse* laudatur; tandem loci eiusmodi ut ille θρέψαισα καὶ θρασῖς

g) V. Corsin. F. A. III, 201. 206.

h) F. A. III, 206. 211. Sed videndus est idem D. Agon. p. 203.

ὑπερτάτους ἥρωας ἐν μάχαις — ea omnia quorsum tendant, nescio, nisi Aeginam eodem tempore civium suorum fortitudine hostium (et quorumnam nisi Atheniensium?) impetum reiecisse, manifestissimis argumentis comprobant. Tale vero utique tempus ex pugna Salaminia, ad quam carmen nostrum trahi non potest, usque quo Aegina ab Atheniensibus subigeretur, velim mihi uspiam nisi post proelia ad Halias et Cecryphaliam ullo ullius scriptoris vestigio commonstres. Igitur corrige in Scholiis ad v. 1. pro νικήσαντι τὴν λέ Πυθιάδα, facili τοῦ Π in ΙΙ. mutatione, τὴν λβ΄ Πυθ.: atque omnia, puto, cum exactissima temporum ratione optime congruunt.

Etenim si cum Corsino [i]) (repudiatâ iam computatione Diodori uno anno aberrantis) pugnas ad Halias et Cecryphaliam aut Olympiadis LXXX. anni tertii priore parte, Bione adhuc Athenis Archonte, aut potius, quod fere suadet inscriptio mox adducenda, eiusdem anni altera parte, Archonte iam Mnesitheo, vere primo, commissas esse statuimus: si cum eodem [l]) ludos Pythios tertio Olympiadis anno et mensi Bysio Delphico, Munychioni Atticorum, assignamus: brevi tempore post Aristomenem Pindari epinicio celebratum Aeginetas proelio superatos et obsessos esse, probabile videtur.

§. 2. Aeginetae devicti.

Brevis enim erat, neque celo, Aeginetarum felix status. Iam iterum utrinque sociis adductis magno ad Aeginam proelio navali de fortuna belli disceptatur [m]). Quo evenit ut Athenienses septuaginta hostium triremibus captis evaderent superiores [n]). Ipsi itaque militibus terrae admotis, Leocrate Stroebi filio duce, oppugnationi urbis operam dare. Peloponnesii autem ab Aeginetis in auxilium arcessiti [o]) trecentos gravis armaturae, antea Corinthiorum et Epidauriorum auxilia, in Aeginam, alios, qui Athenienses ab Aegina retraherent, in Geraniam promontorium, alios, qui Megarensium ex agris Atticam turbarent, ablegarunt. Quibus-

i) Corsin. F. A. III, 199. sqq. Neque tamen sibi constat Corsinus, qui p. 200. proelium ad Halias *Philocle*, p. 201. *Bione archonte* factum statuit: si vero p. 203. Aeginetas *Callia* archonte in deditionem receptos scribit, necesse, proelio ad Aeginam *Mnesitheo*, qui inter Bionem et Calliam intercedit, neque autem Bione, neque Philocle archonte, esse decertatum.

l) D. A. II, 8. sq. F. A. II, 295. m) Thuc. I, 105.

n) Thuc. Diod. Lysias Or. Paren. 15. p. 298. Auger. Vaticinatum id diceres cygnum Dircaeum, v. 96. 103. cf. Ol. VIII, 29.

o) Cf. Plut. Pericl. 167.

cum tamen postquam Attici, recenti subito senum et puerorum exercitu coacto [p]), ambiguo proelii eventu pugnaverant, postquam sexaginta duobus post cladem Tanagraeam diebus egressi, Myronide duce, Boeotos ad Oenophyta vicerant; (iste enim annus Athenis vere gloriosissimus exstitit, dehinc in peius vergere et ignaviam): Aeginetae animo fracti cum per novem menses obsidionem tolerassent [q]) Atheniensibus sese dediderunt, *muros diruere, naves tradere, stipem dare* polliciti [r]). Quae quamvis deditio haud dubie in Olympiadis LXXX. annum quartum, Calliae Archontis Elaphebolionem ferme sive Munychionem mensem incidat, obsidionis tamen initium in eiusdem Olymp. anni tertii exitum, Athenis Archonte adhuc Mnesitheo, referri poterit, quem annum (a. C. CDLVIII.) spectat inscriptio illa illustris Attica [s]).

ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ
ΗΟΙΔΕ ⁝ ΕΝΤΟΙ ⁝ ΠΟΛΕΜΟΙ ⁝ ΑΠΕΘΑΝΟΝ ⁝ ΕΝΚΥΠΡΟΙ ⁝ ΕΝΑΙΓ
ΥΠΤΟΙ ⁝ ΕΝΦΟΙΝΙΚΕΙ ⁝ ΕΝΑΛΙΕΥΣΙΝ ⁝ ΕΝΑΙΓΙΝΕΙ ⁝ . . ΜΕΓΑΡΟ
ΕΝ ΤΟ ΑΥΤΟ ΕΝΙΑΥΤΟ

Legendum est: *οἵδε ἐν τῷ πολέμῳ ἀπέθανον ἐν Κύπρῳ, ἐν Αἰγύπτῳ, ἐν Φοινίκῃ, ἐν Ἁλιεῦσιν, ἐν Αἰγίνῃ, ἐν Μεγάροισιν τοῦ αὐτοῦ ἐνιαυτοῦ* [t]). Ubi adhuc haereo, utrum annum hunc de uno Atticorum anno, a Gamelione tum incipiente (Cors. F. A. I, 91. sqq.), aut omnino de annuo tantum tempore intelligendum existimem.

Hic erat exitus belli Aeginetici. Sicut vero Carthaginem, etiam postquam classem exusserant et stipem imposuerant et arma ademerant, perpetuo tamen expavescebant Romani, delendam esse continuo censebat Cato Censorius: ita Aeginam Pericles et Athenienses. Septem enim et viginti post deditionem annis, Olympiadis LXXXVII. tertio [v]),

---

p) Thuc. I, 108.

q) *μῆνας ἐννέα*, Diod. XI, 78. Litem facile componendam movit Manso Sp. I, II, p. 316. 320. e Diodoro, bellum *annos* novem durasse, afferens.

r) Thuc. *τείχη δὲ περιελόντες καὶ ναῦς* (bellicas tantum, credo, maxime triremes) *παραδόντες, φόρον δὲ ταξάμενοι τὸν ἔπειτα χρόνον*. cf. II, 27. Diod. XI, 70. et 78.

s) Ap. Spon. Miscc. cl. X. n. I. Murator. p. 878, I. Maffeium Gal. Ant. c. 19. et Mus. Veron. p. 407. Corsin. F. A. I, p. 159. cf. III, 201. 203. Cf. Lanzi Saggio di L. Etr. I, 107. Thiersch, Act. philol. Monac. T. 2. fsc. 3. p. 405.

t) Id me docuit Boeckh. Minus feliciter alii. Cf. praeter Thuc. I, 103—109. Diod. l. l. Lys. l. l. Aristid. Or. II, 20. Himer. Or. II, 30. p. 418. Wernsd.

v) Dodwell. Ann. Thucyd. p. 122. Cors. F. A. III, p. 230. Ante Thargelionem mensem, quod e natalibus Platonis colligo.

bello Peloponnesiaco iam flagrante, cum Aeginetae ad concilium Peloponnesiorum (Ol. LXXXVII, a. 1.) clam Atheniensibus legatos misissent, qui ipsos contra foederis legem libertate spoliatos quererentur x), neque tamen Spartani ab Atheniensibus, ut Aeginam liberis legibus vivere sinerent, obtinuissent y): Athenienses Aeginetas inermes, innoxios, fractos, bellum ab ipsis motum esse praetexentes, ut cum uxoribus liberisque patriâ excederent, coegerunt z).

§. 3. Decretum Philocleum.

Wesselingius ad Diodorum (XII, 44. p. 509.) eodem anno factum statuit plebiscitum illud Atheniensium atrocissimum, ut Aeginetae cuivis pollex dexter, ne pilum vibrare et tamen remis possent incumbere, praecideretur: de quo Aelianus (V. H. II, 9.). *Id suadere aetatem Philoclis, decreti auctoris apud Plutarchum* (Lysandro 438. a.). *Quem extremo belli Peloponnesiaci anno captum eundem esse non posse ac Philoclem Archontem, quo Aegina teste Diodoro in ordinem redacta sit. Nam si idem esset, inde sequi, eum octogenarium fere expeditionis navalis socium fuisse.* — Primo autem loco Wesselingium in eo errasse, quod Philocle Archonte Aegina in deditionem accepta sit, ex iis quae modo disputavimus, iam est apertum. Hôc enim Archonte, Olymp. LXXX. anno primo secundove, etiamsi bellum Aegineticum motum esse concederetur: non tamen eodem etiam confectum esse posset. — Sed qua ratione sese habet Philoclis in Aeginetas facinus? Cuius causae pro gravitate, nam rei sunt Athenienses, accusatores credo omnes Peloponnesii, in tantâque criminis atrocitate, veniâ fruetur etiam cognitio eo circumspectior.

---

x) οὐκ εἶναι αὐτόνομοι κατὰ τὰς σπονδάς. Thuc. I, 67. Quae ad foedera tricennalia vel quinquennalia pertinere nego. Quippe utrisque prior est Aegina in ditionem Atheniensium redacta: neque quicquam iis in statu Aeginetarum mutatum. Spectare potius crediderim ad τὸ συμμαχικὸν Graecorum, Spartanorum auctoritate factum, Graecorumque in eo foedere inter sese libertatis stipulationem: ex qua ap. Thuc. III, 68. Thebani in excidio Plataearum a Spartanis iubentur κατὰ τὰς παλαιὰς Παυσανίου μετὰ τὸν Μῆδον σπονδὰς ἡσυχάζειν.

y) Thuc. I, 139. 140. Quo spectat Aristoph. Acharn. 652. διὰ τοῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσι.

z) Thuc. II, 27. Diod. S. XII, 44. Cf. Manso Sp. II. p. 34. In iis vero, quae Drumannus Id. II, 1, 190. scripsit, quot verba tot errores.

Nihil notius Atheniensium, humanissimae scilicet gentis, in hostes captos, ardente bello, cruentâ saevitiâ, nihil tritius decretis Cleonis, Meliorumque et Scionaeorum et Histiaeensium suppliciis [a]. Num tamen Aeginetis, quos ex insula eiiciebant, pollices praecisos esse, videlicet, ne pila torquere, sed remos tantum agitare possent, credideris? Ista, consentaneum erat, fieri in captivos triremium remigio assignatos, absurdum autem et intempestivum in exules. Sed accedit hoc. Quinque annis post in Thyrearum oppugnatione iidem Aeginetae acriter obsistunt et plerique in manibus cadunt [b]. Murci scilicet propugnatores. Cave igitur, ne Wesselingius nobis imposuerit. At relinquitur tamen, quo decretum Philocleum referre possis, ipsum Thyrearum expugnatarum tempus: unde vivos esse abductos a Nicia Aeginetas, cum Plutarcho (p. 527. b.) testis est Thucydides. (IV, 57.) Cui suspicioni iam suffragatur Diodorus (XII, 65.) *οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς Αἰγινήτας ἐν φυλακῇ κατεῖχον*: adversatur vero, qui solus audiendus est, Thucydides, *Αἰγινήτας ἀποκτεῖναι πάντας ὅσοι ἑάλωσαν*, ab Atheniensibus statutum esse referens.

Quid igitur? Aut Thucydides, taediosam certe pollicum abscissorum mentionem devitaturus, Aeginetas caesos esse maluit; quod quis credet? aut Philocles ex Aeginetis per omnem Peloponnesum dispersis quosdam uspiam ceperat atque in hos tam nefarie animadverti iusserat; quod parum cum scriptorum verbis concinit [c]: aut, id quod quilibet amplecti malit, omne decretum Philocleum, omne tale supplicium sumptum de Aeginetis, fabula est satis antiqua ex notâ inter Athenienses et Aeginetis inimicitiâ Peloponnesiorumque in Philoclem, immanium consiliorum auctorem, odiis orta.

Supervacaneum habemus rei refutatae refellere testes, sed excitare tamen eoque ipso mendacii reperire iuvat originem. Apertus est et locuples sermo Xenophontis (Hell. II, 1, 31.), certe eius vero amicioris, quam patriae. Vicerat Lysander ad Aegos Potamos. „*Tum multa erat criminatio Atheniensium ἅτε ἤδη παρανενομήκεσαν καὶ ἃ ἐψηφισμένοι ἦσαν ποιεῖν, εἰ κρατήσειαν τῇ ναυμαχίᾳ, τὴν δεξιὰν χεῖρα ἀπο-*

---

a) Exempla collegit Drumannus II, p. 755. Eleganter Procop. Sophist. Panegyr. in Anastas. ap. Villois. Anecd. II, p. 36. *καὶ σιωπῶ τοὺς σοφωτάτους Ἀθηναίους ὅπως Μηλίους καὶ Σικυωναίους διέθηκαν.* Corr. *Σκιωναίους.*

b) Thuc. IV, 57.

c) Aelian. V. H. II, 9, ita: *Αἰγινητῶν ἑκάστου τὸν μέγαν ἀποκόψαι τῆς χειρὸς δάκτυλον τῆς δεξιᾶς, ἵνα δόρυ μὲν βαστάζειν μὴ δύνωνται, κώπην δὲ ἐλαύνειν δύνωνται.*

κόπτειν τῶν ζωγρηθέντων πάντων, *et quod duarum triremium, Corinthiae et Andriae, socios omnes rupe deiecerint.* Φιλοκλῆς δ' ἦν στρατηγὸς τῶν Ἀθηναίων, ὃς τούτους διέφθειρεν [d])." Quodsi nimirum vicissent Athenienses, captivorum pollices truncassent. Ita scilicet narrabant Peloponnesii. Sed multo plura comperta habet religiosus ille Plutarchus (Lys. 438. a.) vel is, ex quo sua Plutarchus transcripsit. Φιλοκλῆς, ait, ὁ πείσας ποτὲ ψηφίσασθαι τὸν δῆμον ἀποκόπτειν τὸν δεξιὸν ἀντίχειρα τῶν ἁλισκομένων κατὰ πόλεμον, ὅπως δόρυ μὲν φέρειν μὴ δύνωνται, κώπην δὲ ἐλαύνωσι. Ποτὲ igitur: sed quando? Iam vero finge Graeculum alium, finge Romanum, inimicitiae inter Athenienses et Aeginetas bene gnarum: et quae de decreto illo obscura tradiderat mendax fama, omnia transferuntur in Aeginetas. Apage igitur totam fabulam.

Repetiit sane et evulgavit eam Romanorum in Graecos invidia. Valerius Maximus IX, 2. ex. 8. *Consimili genere aemulationis instincta civitas Atheniensium, indigno gloriae suae decreto Aeginensium iuventuti pollices abscidit; ut classe potens populus in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret.* Non agnosco, addit Romanus, *Athenas timori remedium a crudelitate mutuantes.* Sed primus omnino eius auctor est Cicero (de off. III, 11.) *Durius etiam Athenienses, qui sciverunt, ut Aeginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur. hoc visum est utile. nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piraeeo.* Haec quidem ille optime: nihil Atheniensibus magis exosum, quam λήμη illa Piraeei, multo ipsis nocentior, quam Spartanis Cythera, quam tamen Chilo κέρδος μεῖζον ἔφη εἶναι Σπαρτιήτῃσι κατὰ τῆς θαλάσσης καταδεδυκέναι μᾶλλον ἢ ὑπερέχειν.

§. 4. Cleruchi Attici.

Quem insulae situm, si infesta esset, molestissimum, sin autem occupata, maxime opportunum, cum populus Atheniensium bene nosset, ceterum idem novorum agrorum omni tempore cupidissimus: Aeginam cleruchis distribuunt [e]): unde tum sociis Peloponnesi propiores essent, ita ut decima tertia belli aestate ad auxilia per Aeginam communicanda Argivi et Alcibiades coniuncti Epidaurum

---

d) De quo cf. Xen. I, 7, 1. Plut. p. 440. b.

e) Thuc. V, 27. Diod. XII, 44. Str. VIII, p. 376. Periclis auctoritate et Aeginetas eiectos et cleruchos esse deductos, asserit Plutarchus Pericl 170. e. Cf. Meurs. de Fort. Ath. Opp. I, p. 47. Etiam dicterium de λήμη Piraeei cum Aristotele (l. p. 3, k. laudato) Pericleo aevo tribuere malo, quam Demadi facetiarum omnium mythico auctori.

aggrederentur [f]); tum navale haberent in mari Saronico, classiumque, ut Siciliensis exercitus [g]), diversorium. Ibidem quinta belli aestate Corcyraeorum factionis Corinthiae legati, iique qui ex Corcyraeis in Atticam profugis rem cum his legatis fecerant, in custodia detenti sunt [h]): ob securitatem custodiae certe minus, quam ad amovendos eos a conspectu plebis iracundae. Aeginetas autem, qui tum dicuntur, si quidem cives Attici esse non desierant, socios fuisse Atheniensium, per se apparet. Proprium tamen in proeliis ordinem tenuisse videntur, (de Thorycione, Aeginetarum aliquando taxiarcho, Scholiastes Aristophanis aliquid legisse videtur;) et belli maxime in ipsa Peloponneso gesti fuisse consortes. Ita in proelio Tegeatico, Ol. XC, 3. cum Atheniensibus diserte memorantur Aeginetae [i]): etiam expeditionem Siciliensem pro parte sua adiuverunt [l]). Quorum in vindictam anno belli unoetvicesimo, Ol. XCII, 2., Aegina a Lacedaemoniis Hegesandrida duce direpta et vastata est [m]): ab Atheniensibus tamen nondum dimissa, neque Aeginetis reddita ante Lysandrum.

Bis igitur vidimus Aeginae statum immutatum; primum cum Athenienses Aeginetis stipem irrogarent, neque tamen agris eos et domibus pepulissent; deinde cum ipsi suis insulam traderent: in quos, utique probabile est, tributum pristinorum incolarum transiisse [n]). Certe εἰκοστήν, quae Ol. XCI, 2. φόρῳ successit, invectorum mari omnium et exportatorum, Aeginae fuisse, Thorycion arguit apud Aristophanem [o]) Ol. CXIII. in Aegina εἰκοστολόγος. Dubitare tamen liceat, an, si coloni Attici vectigal, ut sortibus suis quodammodo iniunctum, suscepissent, mutatio eius tributi in *vigesimam*, postea in civitatibus subditis facta, ad hos colonos potuisset pertingere, praesertim cum vigesima damnosior fuerit quam tributum illud. Equidem fere inducor, ut portorium hocce ab initio crederem, ex quo insulam occuparant, Athenienses, πεντηκοστῆς loco, Aeginae emporio imposuisse, etiam tum haud dubie florenti [p]), non sine eo fortasse consilio, ut commercia omnino ab

f) Th. V, 53. g) Aristid. II, p. 19. h) Th. III, 72.
i) V, 74. l) VII, 57. m) VIII, 92.

n) Ea est sententia Boeckhii Oec. Ath. III, 18. p. 464. Cf. III, 6, 348. 15, 432.

o) Ran. 366. Cf. Scholia. Exscripsit ea Suidas. Loci memini Schol. Eur. Phoen. 1662.

p) Quodsi aes Aegineticum, quo Canachus et Myro usi sunt, Aeginae temperatum erat: neque a cleruchis Atticis neglectae esse possunt eae officinae: emporium autem Aegina usque ad Macedonum empora nunquam non fuisse putanda est.

Aegina in Piraeeum converterent. Sunt autem versus Comici hi.

ἢ τἀπόρρητ' ἀποπέμπει,
ἐξ Αἰγίνης Θωρυκίων ὢν, εἰκοστολόγος, κακοδαίμων,
ἀσκώματα, καὶ λίνα καὶ πίτταν διαπέμπων εἰς Ἐπίδαυρον,

argumento, quantopere situs insulae mercaturas etiam occultas cum Peloponnesiis adiuverit.

Inter cleruchos autem Atticos etiam Aristophanem agrum et domicilium Aeginae habuisse, verba poetae ipsa probabunt (Acharn. v. 652.)

διὰ τοῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται
καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν, καὶ τῆς νήσου μὲν ἐκείνης
οὐ φροντίζουσ' ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται,

Scholiasta autem: οὐδεὶς ἱστόρηκε, ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης, ἀλλ' ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι, ὃς κεκληρούχηκεν ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν ἀνάστασιν Αἰγινητῶν ὑπὸ Ἀθηναίων, quanquam Aristophanem inter cleruchos non fuisse, nobis minime persuadet, tamen etiam Callistratum, histrionem puto, sortem tenuisse docebit q). Memorant inter eosdem etiam Aristonem, Platonis patrem. Haec sunt verba Diogenis Laertii (III, 3. p. 165. Meib.): ἐγεννήθη Πλάτων κατά τινας ἐν Αἰγίνῃ ἐν τῇ Φειδιάδου οἰκίᾳ τοῦ Θάλητος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ καὶ ἄλλων πεμφθέντος κληρούχου καὶ ἐπανελθόντος εἰς Ἀθήνας, ὁπόθ' ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἐξεβλήθησαν βοηθούντων Αἰγινήταις r). In quibus illa quidem, *Platonem Aeginae natum esse* (natus autem est Ol. LXXXVII, a. 3., ipso cleruchiae deductae anno, mense Thargelione) veri speciem prae se ferunt: haec autem, *Aristonem haud prius quam cleruchis ex insula eiectis Athenas reversum esse*, si quidem Aeginetas a Lysandro, Platonis vigesimo sexto aetatis anno, restitutos spectant, ad ipsum Platonem pertingere non poterant: quanquam is pueritiem certe Aeginae egisse putandus est. Nam Aristonem Argivum, Platonis aliptam, et Metellum Agrigentinum, magistrum musicum, facile inducor, ut pro inquilinis, Draconem autem Atheniensem pro cleruche habeam. Sed narratio de Dionysio, Platonis grammatistâ, quem Athenis ludum habuisse, Anterastis docemur, coniectura esse videtur, ex ipso eo spurio dialogo desumpta. Quippe Platonem libelli huius initio magistri sui nomen immortalitati tradere voluisse, temeraria quidem erat divinatio, non aliena tamen a lepido illo augurandi genere, quod philosophorum vitas exornavit et corrupit.

---

q) Vita Aristoph. p. 14. Kuster. οἱ μὲν αὐτόν φασι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου. οἱ δὲ Αἰγινήτην στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς αὐτόθι ποιεῖσθαι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε· κατά τινας δέ, ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης.

r) Cf. Cors. F. A. III, 231. Tenneman. Syst. Phil. Platon. I, p. 3. sqq.

§. 5. Thyreae.

Sed ab his qui nunc Aeginetae audiunt, ad germanos iustosque revertimur Aeginetas, odii in Athenienses acerbissimi quocunque venerant disseminatores. *Irascuntur*, inquit Aristoteles (Rhet. II, 22. p. 265, B.), *Atheniensibus, quod Graecos, olim contra barbarum socios, ipsos qui palmam retulerint Aeginetas, et Potidaeatas in servitutem redegerint.* Interfecerint immo. Αἴγινα ἀνίσταται, ἀπόλωλεν ἡ φίλη νῆσος Αἴγινα memorat Max. Tyrius rhetor [s]), ut casum omnibus Peloponnesiis miserabilem, malarumque legum malum effectum. Secus omnium sophistarum deterrimus, Euripides ap. Plutarchum (Niciae et Crassi Parall. p. 567). *Sin autem*, ait, *bonis praesentibus quiete frui nequitis: non Scandea, non Mende excidendae sunt, non Aeginetae avium instar alieno solo sese abscondentes nido exturbandi: sed magni aestimanda iniuria.*

Acceperant autem Aeginetae a Lacedaemoniis, ipsis praesertim ob auxilium in seditione Hilotum latum obstrictis, Thyreas in Cynuria habitandas, sicut antea Ithomaei ab Atheniensibus Naupactum [t]); atque tum urbem ipsam, tum vicinos vicos incoluerant [v]): ceteri per Graeciam dispersi. Iam autem septimo belli Peloponnesiaci anno (Ol. 88, 4.) Athenienses Nicia duce Laconiam circumvecti atque ad Epidaurum Limeram appulsi inde Thyreas abeunt. Quorum de adventu certiores facti Aeginetae moenibus, quae, emporii gratia ut videtur, ad mare exstruxerant, relictis inde in superiorem urbem, stadiis circiter decem a mari dissitam, se recipiunt [x]). Quo praesidium Spartanum, quod illos in muro struendo adiuverat, cum urbem repetere primum noluisset, tandem secutum est. Tum Athenienses Thyreas confestim omnibus copiis aggressi urbem ceperunt, diripuerunt, incendio dederunt: Aeginetas, quotcunque Marte non occubuerant, praesidii-

---

s) Diss. 12. p. 233. 18, 350. R.

t) Thuc. I, 103. II, 27. Diod. XII. 44. Paus. II, 29, 5. Mirum, Thucydidem eadem, quae II, 27. totidem verbis IV, 56. repetere, quod est certe inter indicia operis nondum ultima lima perpoliti.

v) ut Anthenen, ἐς ἣν Αἰγινῆται ποτε ᾤκησαν, ut Paus. II, 38, 6. Nam ita pro Ἀθήνη e Thuc. V, 41. aliisque corrigo. V. supra p. 46, q.

x) Urbs superior in colle sita fuisse videtur. Quo respiciunt, puto, Apostolii II, 26. p. 21. et Zenob. I, 57. haec: Ἄκρον λαβὲ καὶ μέσον ἕξεις] οἱ τὴν Αἴγιναν οἰκοῦντες ἐκπεσόντες αὐτῆς διὰ πόλεμον ἐχρήσαντο τῷ θεῷ. ὁ δὲ τὸν χρησμὸν τοῦτον εἶπεν. καὶ συμβάλλοντες αὐτὸ ἀκρωτήριόν τι κατασχόντες κατὰ μέσον ᾤκησαν. λέγεται δὲ ἐπὶ τῶν δυσνοήτων.

que ducem, Tantalum Patroclis, quem saucium ceperant, vivos Athenas perduxerunt. Decretum: Αἰγινήτας ἀποκτεῖναι πάντας ὅσοι ἑάλωσαν, διὰ τὴν προτέραν ἀείποτε ἔχθραν: Τάνταλον δὲ καταδῆσαι y).

Iam vero clade ad Aegos Potamos vindictae tempus acceleratum est. Dum Athenienses anxii sibi a Spartanis idem metuunt, quod ipsi, οἱ τλήμονες, in Aeginetas, Melios, Histiaeenses, Scionaeos, Toronienses perpetraverant: Lysander Lacedaemonius mare Aegaeum permensus, rebus publicis insularum constitutis, in Aeginam quoque, post colonos Atticos eiectos, quotquot e veteribus incolis post casum Thyreaticum per Graeciam inveniri et cogi poterunt, revocat: *quo nihil*, Plutarchus adiicit, *unquam Graecis iucundius factum esse* z). Tum demum Athenas conversus, urbem expugnatam intrat. Sed Aegina, reddita nunc incolis Doriensibus, aut, si mavis, hominum omnigenarum, qui patria carebant, turbae confluenti, et iterum tanquam in custodiam et vexationem Athenarum apposita, si colonos, non tamen potentiam recuperaverat, neque unquam tempora pristina poterat instaurare. Quod maxime in iis gentibus evenire necesse erat, quae, ut Samii, ut Messenii et Plataeenses, semel patriâ desuefacti fortunae favore, non sua virtute reditum impetraverant a). Περιτροπαὶ κύκλων et αἴγλα illa Διόσδοτος praeterierat, qua quondam Aegina floruerat b): atque inde, post iuventam armis variisque studiis acrem, civitas coepit consenescere.

§. 6. Aegina Aeginetis reddita.

Quandiu Athenienses auctoritatem Spartae colebant, sed etiam aliquantum temporis post Trigintaviros exactos, inter Athenienses et Aeginetas intercessisse ἐπιμιξίαν, commercium civitatum liberarum, discimus e Xenophonte. (H. Gr. V, 1. 2.) Quem ad locum apprime facit Plato in Phaedone (p. 59. c.) ubi Echecrates: Τί δέ; Ἀρίστιππος καὶ Κλεόμβροτος παρεγένοντο; ΦΑΙΔ. Οὐ δῆτα. ἐν Αἰγίνῃ γὰρ ἐλέγοντο εἶναι. Quam festivitatem quibus illustravit Heindorfius, ea et huc iuvat adducere et quaedam fortassis addere. Diog. Laert. II, 65. ἐκάκισεν Ἀρίστιππον Πλάτων ἐν τῷ π. ψυχῆς.

---

y) Thuc. IV, 57. Plut. Nic. p. 527. b. Diodori XII, 65. diversam sententiam supra tetigimus. Cf. Dion. H. de Thuc. idiom. p. 142. sq.

z) Xenoph. H. Gr. II, 2, 9. Strab. VIII, 376. Plut. Lys. 441. a. Quae facta sunt Ol. 93, 1. Dodw. Chron. Xen. p. 10.

a) V. Paus. II, 29, 5. IV, 27, 5.

b) Cf. Pind. P. VIII, 100. cum Platone Rep. VII, p. 381. Bekk.

Demetr. de eloc. §. 306. Ὁ Πλ. Ἀρίστιππόν κ. Κλεόμβρ. λοιδορῆσαι θελήσας ἐν Αἰγίνῃ ὀψοφαγοῦντας δεδεμένου Σωκράτους Ἀθήνησιν, ταῦτα πάντα διαῤῥήδην μὲν οὐκ εἶπε κ. τ. λ. Apparet Aeginam eo tempore diversorium fuisse hominum delicatulorum in primis Aristippo acceptum. Hic enim, ut ex Athenaeo (XIII, p. 588. cf. 590.) cognoscitur, degebat Lais, maior quae cum Aristippo consueverat. At praecipue comparandus eiusdem scriptoris locus alius (XII, 544. d.) Διέτριβεν δ' ὁ Ἀρίστιππος τὰ πολλὰ ἐν Αἰγίνῃ τρυφῶν. διὸ καὶ ὁ Ξενοφῶν ἐν τοῖς Ἀπομνημον. (II, 1.) φησιν, ὅτι πολλάκις ἐνουθέτει αὐτὸν ὁ Σωκράτης κ. τ. λ. Unde lucem nanciscitur locus epistolae, inter Aristippeas XVI (ap. Leon. Allatium p. 40.) ubi, Socraticorum post mortem magistri diffugio memorato: καὶ ἅμεις οὖν, additur, ὡς ἴσμεν, ἐν Αἰγίνᾳ διατελέομες ἐπὶ τοῦ παρόντος: *nos vero, sicut sumus*, scil. deliciarum amantissimi, *ad hunc usque diem Aeginae commorati sumus.* Quem locum Orellius pro ἴσμεν, ἔχομεν, et Censor in ephemerid. Hal. anni 1816. 236. ὧ s. ἐν οἷς corrigentes naviter corruperunt. Eadem epistola etiam Cleombroti in Aegina degentis mentionem iniicit: scilicet deprompsit sophistes utrumque ex ipso nostro Platonis loco. Ex ὀψοφαγίᾳ autem et piscinis Aeginetarum explicandus Alciphron (I, 4.). *Quid passa*, scribit Cymothus, *o mulier, retibus et litore derelictis in urbe cum Atticarum ditissimis Oschophoria et Lenaea peragis* [c]). *Non eo consilio ex Aegina, ubi nata es et educata, pater te mihi in matrimonium despondit. Si urbem amas, vale et alium tibi quaere maritum.* Neque autem piscium solum, sed etiam cibi frumentacei, in quo Graeci mirum quantum praestiterant, cupediis Aeginam Cyrenaicis acceptam fuisse, concedes lecto Cratino ἐν Πλούτοις ap. Athen. VI, 267.

οἷς δὴ βασιλεὺς Κρόνος ἦν τὸ παλαιόν·
ὅτε τοῖς ἄρτοις ἠστραγάλιζον, μᾶζαι δ' ἐν ταῖσι παλαίστραις
Αἰγιναῖαι κατεβέβληντο δρυπέπεις βώλοις τε κομῶσαι [d]).

---

c) Respicit ad feminas δειπνοφόρους et γεραίρας. Cf. Meurs. Gr. Fer. V, p. 218. Cors. F. A. II, 353. Lenz ad Philoch. p. 31.

d) In quo loco a Criticis vexatissimo, δρυππαῖς βολβοῖς τε (Megarensibus iis) κομῶσαι, scriberem, nisi, ad aevum Saturnium adumbrandum, liberiori vocis usu, mazas Comicus significat, de arbore deciduas glebisve provenientes. Certe in Teleclida ap. Athen. II, p. 56. δρυπεπέσι καὶ μάζαις, διασκανδικίσας (*druppis et mazis ut eum vesci sinerem, obnixe me orabat et Euripidea multa deblaterans*) emendandum esse, docere potest Athenaei contextus. Δρυπέπης autem et δρυπετής distincta grammaticorum debentur argutiis. Idem certe verbum δρυπέπεις est ap. Alex. in Athen. p. II, p. 55. Archestratum II, 56. Aristoph. ἐν Γήρᾳ ib. IV, 133. idemque ap. Aristoph. Lysistr. 564. et Alciphr. Ep. I, 21. ubi nunc δρυπεπεῖς legitur. Et cf. Eust. ad Il. B, p. 160. Od. M, 494. (Modo δρυ(-)πέπης, modo δρυ(⏑)πέπης, ut συ(-)βότιον, συ(⏑)βώτης.) Nugantur in ea re praeter veteres grammaticos Bodaeus ad Theophr. T. III, 312. Flor. Christ. ad

Haec de Aeginetarum luxuria. Quae tamen an florente civitatis statu eadem fuerit, nescimus: id quidem constat, apud Dorienses divitiis potitos, ut Cyrenae, in civitate totâ Aristippeâ, apud Rhodios, albos qui vocantur Cyrenaeos, Agrigentinos epulatos proinde quasi quotidie essent morituri, ad mensas Syracusiorum, Co et Cnidi, in Veneris urbibus famigeratis, multo profusiorem fuisse luxum, quam apud Iones Atticosque μικροτραπέζους, iucunde et tenuius viventes.

Neque etiam iis et quae sequuntur temporibus Aegina emporium esse desierat, magis quidem opportunitate loci, quam industriâ incolarum, ita ut mercatus quidem Aeginae perfrequens fuisse, Aeginetae autem ipsi itineribus mercatoriis minus studuisse videantur. Negotiatorum turba erat Aeginae etiam Aristotelis tempore: et in epigrammate Callimachi XIX. (p. 57. Blomf.) Lycus Naxius navim et vitam amittit, ἔμπορος Αἰγίνηθεν ὅτ᾽ ἔπλεε; quae ad scopulos simul circa insulam spectare possunt. Et erat sane hospitum et inquilinorum, quorum ad ducentos in exiguo Aeginetarum proelio cecidisse narrabitur, magna ibidem multitudo, plerique certe erant Dorienses, multi fortasse Cyrenaei, Aristippus saltem, et Anniceris ille postea memorandus [e]). Quid quod ipse Lampis, cuius nomine rhetores universe pro nauclero splendidissimo quoque utuntur, Aeginae inquilinus erat: nam Aeginetam eum, id est civem, a Themistio [f]) iniuriâ nuncupari, docet locus Demosthenis (in Aristocr. p. 690, 26.) quem totum adscribo: Πῶς οὐκ αἰσχρόν, Αἰγινήτας τουτουσὶ νῆσον οἰκοῦντας οὕτω μικρὰν καὶ οὐδὲν ἔχοντες, ἐφ᾽ ᾧ μέγα δὴ φρονεῖν εἰκὸς ἦν αὐτοῖς, Λάμπιν, ὃς μέγιστα ναυκλήρια κέκτηται τῶν Ἑλλήνων καὶ κατεσκεύακε τὴν πόλιν αὐτοῖς καὶ τὸ ἐμπόριον, μηδέπω καὶ τήμερον πολίτην πεποιῆσθαι, ἀλλὰ μόλις αὐτὸν τῆς ἀτελείας ἠξιωκέναι τῆς τοῦ μετοικίου [g]). Atque etiam naves tum certe Aegina re-

---

Aristoph. l. l. Rhodigin. Lect. Ant. XII, 19. Pierson. ad Moer. A. 121. sq. Oudendorp. ad Thom. Mag. p. 251. Brunck. ad Anal. T. 3. p. 177. Toup. Epist. Crit. p. 106. sq. Schweigh. ad Athen. T. 1. p. 377. In tam vili re tot se exercitarunt viri doctissimi, plerique in summa rerum multo graviorum socordia.

e) Inquilini in Aegina Attici nomen lucramur fortasse ex inscr. hac

ΜΕΛΗΣ..ΔΡΟΣ — Μελήσανδρος
ΓΑΛΗΝCΥΣΦΛΜΟ — Παληνεὺς Φαμοκλέους.

aeri incis. ap. Cayl. Rec. Ant. T. VI, p. 3. tb. 60, 3. cf. p. 195.

f) Orat. IV, p. 129. Par. Cf. Epictet Fr. 75. T. III. p. 91. Plut. II, p. 787. a.

g) Ex quo exscripsit Aristid. T. 2, 19. Plura de Lampi Or. in Phormionem.

paraverat, rotundas tamen haud dubie magis quam triremes [h]).

§. 7. Bella cum Atheniensibus.

Neque tamen Aeginetarum in Athenienses odium hac quiete elanguerat: et bellum, cum primum redintegratum esset, ut nunquam indicebatur, ita nunquam cessabat. Brevi ante pacem Antalcideam tempore, Olymp. XXCIIX, 2, 4. [i]), cum bellum inter Lacedaemonios et Athenienses denuo mari geri coeptum esset, Eteonicus Spartanus, Ephororum consensu, Aeginetis veniam impertiverat in Attica praedandi [l]). Tumque illi eruptione factâ statim maritima Atticae incursare, et promptius exercere vetus in Athenienses odium: quanto horum detrimento, iam desiderium pacis apud eos arguit, λῃστείαις, ut Xenophon ait, ἐξ Αἰγίνης ἀποκναιομένους. Contra Athenienses, ita tantum non obsessi [m]), gravi armaturâ duce Pamphilo transvectâ Aeginam terra marique decem triremibus obsidione cingunt (X. V, 1. 2.): donec Teleutias Lacedaemonius, tum forte ad stipem ex insulis exigendam missus, classem oppugnatorum depelleret. Restiterunt tamen intra propugnacula copiae eorum pedestres. Quem secutus Hierax (1, 3.) triremibus in Aegina relictis duodecim praeficit ἐπιστολέα suum Gorgopam, ut Aeginae harmostam (1, 5.): qui, dum ille Rhodum petit, Athenienses muro cinctos vi oppugnare coepit, atque, cum iam obssessores magis laborarent, quam oppidani obsessi, mense quinto, adveniente Atheniensium classe e custodia liberatos, Aeginâ excedere coëgit. Vix soluti periculo instante homines insulani iterum in Attica bona diripere, terram vastare, agere et ferre. Quibus commoti Athenienses Eunomo nauarcho constituto iam tredecim naves emittunt. Sic singularum tantum navium additamentis, et Athenienses tum et Lacedaemonii bellum cauponabantur, miserandum in modum. Sed Gorgopas interea ab Antalcida Ephesum protractus, mox cum duodecim illis navibus in subsidium Aeginetarum remissus, Eunomum Atheniensem ad Zosterem Atticae vincit et quattuor triremibus spoliat. (1, 6 — 9.) Post haec Chabrias in itinere ad Euagoram, regem Salaminium, ad octin-

---

h) Ad Suidam ναῦς Αἰγιναία p. 87, c. laud. adde e Lex. Seguer. p. 361. σκάφος Αἰγιναῖον, exiguum quoddam navigium Aeginetis proprium.

i) V. Dodwell. Chron. Xen. p. 42. Schneider. ad Xen. V, 1. 2.

l) Xenoph. Hell. V, 1. 1. Manso Sp. III, p. 89.

m) πολιορκούμενοι ὑπ' αὐτῶν. Cf. Demosth. de cor. §. 75.

gentos peltastas et decem triremes, quas e bello Corinthiaco tenuerat, aliis ex Attica arcessitis, noctu ad Aeginam appulsus in antris ultra Heracleum cum Peltastis latebat. Postridie primo mane milites Athenis advocati, duce Dimaeneto, ut constitutum erat, sedecim cis Heracleum stadiis in Tripyrgia regione escenderunt. De quibus certior factus Gorgopas cum Aeginetis, milite classico et Spartiatis, qui aderant, assumptis etiam e remigibus quotcunque liberi erant, ad litus properat. Cum primum autem Chabriam in insidiis latentem a tergo reliquisset: hi progressi eum telis opprimunt. Ex altera parte occurrunt Atheniensium classiarii. Caeditur cum primis Gorgopas, Aeginetae centum et quinquaginta, hospitum et inquilinorum et remigum, qui concursaverant, ducenti [n]). Exinde ob Eteonici cum remigibus suis dissidium mare Atheniensibus pacatum. Quibus adde locum Aristotelis (in Polit. V, 5. 6.) καὶ ἐν Αἰγίνῃ ὁ τὴν πρᾶξιν πρὸς Χάρητα πράξας ἐπεχείρησε μεταβαλεῖν τὴν πολιτείαν διὰ τοιαύτην αἰτίαν, i. e. διὰ τὸ ἀνηλωκέναι τὰ ἴδια. Quae si viri docti ad Nicodromi Aeginetae proditionem spectare putant [o]): ego quid velint nescio. Num Charetem nostrum eum censent, qui viginti annis post facinus illud (Ol. LXXVII, 1.) Archon memoratur? Est contra haud dubie notissimus, belli socialis dux, qui (Ol. CIII, 2.) Phliasiis auxilio missus et Argivis devictis redux [p]) Aeginam facile tentare poterat. Certe tempore illo neque Spartani Athenas ex Aegina obsidere, neque Aeginetae Atticam ita devastare, ut Athenienses de iactura resarcienda vehementer angerentur, cessaverant [q]). Quas inter turbas Plato a Polli Spartano [r]), eodem puta, qui annis aliquot post, Ol. XCIX, Athenas ex Aegina obsessas tenet [s]), e Sicilia in Aeginam abducitur, ubi lex erat, ut Diog. Laert. (III, 19.) scribit, τὸν πρῶτον ἐπιβάντα Ἀθηναίων τὴν νῆσον ἄκριτον ἀποθνήσκειν (quam tulerat, Favorino teste, Charmander Charmandridae), vel ut verius Plutarchus (Dion. 970. a.) ὅπως ὁ ληφθεὶς Ἀθηναίων ἐν Αἰγίνῃ πιπράσκηται: de quibus plura et ineptissima balbutit Tzezes Chil. 360. Emit tum Platonem viginti vel triginta minis Anniceris,

---

n) Xenoph. V, 1, 10—12. Demosth. Leptin. c. 62. (cf. Schol. ad l. et Wolf. p. 293.) Aristid. T. II, p. 459. Idem stratagema a Polyaeno ter, III, 10, 9. 10. 12, e tribus scilicet scriptoribus desumptum et nonnihil variatum, repeti, iam notaverunt Casaub. ad Pol. et Schneider. ad Xenoph. l. l.

o) Casaubon. ad Polyb. 185. Gron. Wesseling. ad Herod. p. 479. Schneider. ad Xen. p. 209.

p) Xenoph. VII, 2, 19. sqq. Diod. XV. 74. Dodwell. p. 83.

q) Xen. VI. 2, 1. 2. Manso III, 1. p. 138.

r) Αἰγινήτην dicit Olympiodor. V. Platonis. s) Xen. V, 4, 61.

hospes Cyrenaeus, et in libertatem asseruit. Quae facta sunt Ol. XCVIII, a. 4. t) Post haec autem et Aegina et Athenae bellorum molestia attritae et languentes in quietem compositae esse videntur. An Chares Aeginam ceperit, incertum quidem v): pacis autem testes esse poterunt Isocratis oratio Aeginetica, Demosthenes Aeginae exul et hinc, trireme publice missâ, Athenas revectus x), denique Hyperides, Aristonicus Marathonius, Demetrii Phalerei frater Himeraeus, aliique ex ultimis Athenarum libertatis propugnatoribus in Aeaceum confugientes y). Extraxit omnes tum aut vi aut dolo Archias tragoedus. Verum enimvero isto tempore ob ingeniorum defectum et rerum tristitie praesertim civitatum minorum historia tenebris crassis circumfusa est.

§. 8. Macedones, Aetoli, Pergameni.

Reges ducesque, qui post obitum Macedonis de Graecia in aleam iverunt, Aeginâ ut armamentario et propugnaculo adversus Athenienses usi sunt. Ita Cassander Rex Aeginetas vi sibi in societatem adiunxit z): Demetrius Aeginâ et Salamine egressus Piraeeo potitus est a). Olympiade autem CXXVI, cum Athenae, rebus Macedonum post Demetrii mortem, Philippo puero, Antigono Dosonte tutore, labantibus, ab Arato liberatae essent: etiam Aeginetae cum Hermionensibus Achaeorum foederi sese adscripserunt b): verumtamen mox pactione cum Romanis Aetoli insulam acceperunt. Nam in legatione Rhodiorum ad Aetolos de pace (Ol. CXLIII, 1. a. u. DXLVII.): *Vos*

---

t) Adde Diod. XV, 7. Plut. de exil. c. 4. Aristid. Or. III, 383. Euseb. *παντοδ. ἱστορ.* p. 56. Scal. Seneca epist. 47. Macrob. Sat. I, 11. Plato si Aeginam pluries irridet, id certe aliis causis debetur. Nihil sibi magis oppositum, quam civitas Platonica, indormitura continuo, si alicubi exsisteret, prae summa aequabilitate et temperantia, et Aeginae tumultuosus et mercatorius populus. Quo fit, ut in condenda Gnosia illa colonia, de tali situ maximopere caveat philosophus, qualis Aeginae contigit, nisi divinus adsit legumlator servatorque civitatis.

v) Contra locus Aristotelis (Rhet. III, 10, 7.) *σπεισαμένων Ἀθηναίων πρὸς Ἐπίδαυρον καὶ τὴν παραλίαν ἠγανάκτει Ἰφικράτης, φάσκων αὐτοὺς τοῦ πολέμου τὰ ἐφόδια παρῃρῆσθαι,* etiam Aeginam complecti videtur. Ita enim *παραλία*, ut alibi *ἀκτή*, Troezenios, Aeginetas, Hermionenses, Epidaurios spectat. V. Berckel. ad Steph. s. v. *Ἀκτὴ* et locos p. 40. de Agraeo laudatos.

x) Plut. Demosth. p. 858. y) c. 29. p. 856.

z) *προσηγάγετο.* Diod. XVIII, 69. a) Polyaen. IV, 7, 5.

b) Plut. Arat. 1043. cf. Polyb. XXIII 8.

Aetoli, ille dicunt, *διὰ τῶν Ὠρειτῶν καὶ τῶν ταλαιπώρων Αἰγινητῶν, qui vester esset animus omnibus patefecistis* [c]). Anno autem a u. c. DLVI, cum pax inter Romanos et Philippum ageretur, *Attalum absentem*, auctor est Valerius Antias (ap. Liv. XXXIII, 30, 10) *Aeginam, quam ante Philippus tenuerit, accepisse dono.* Aeginam sane Attalus iam, duodecim annis ante, cum ibi P. Sulpicio praestolaretur, eodemque in hiberna concederet, ut portu et navalibus commodam exoptasse videtur [d]). Ubi et postea Eumenes diu incertus, utrum ad regnum tuendum rediret, an nusquam abscederet a Romanis, donec tandem cum tribus navibus Scyllaeum ad Livium Consulem abiret, stationem habebat [e]). Tamen Valerium, auctorem negligentem, et hic errasse, atque Attalum insulam non pace cum Romanis, sed mercando ab Aetolis accepisse, quid luculentius demonstrat, quam Polybii haec [f])? Anno a. u. c DLXIIX. in legatione Regum ad Achaeos Casander Aegineta Achaeos, ut *reminiscantur*, orat, *Aeginetarum calamitatis, in quam propterea incidissent, quoniam concilii fuissent Achaeorum. Nam P. Sulpicium venisse Aeginam* [g]) *et miseros Aeginetas venum dedisse.* Quibus de rebus, adiicit scriptor, ante diximus Aetolosque tradidimus, ubi ex foedere Romano insula potiti erant, Attalo eam tradidisse, t r i g i n t a t a l e n t o r u m p r e t i o. Quem quidem Polybii locum iniuria temporum nobis subripuit. Sed haec Casander postquam Achaeorum ante oculos posuisset, orat Eumenem, *ne Achaeorum animos captaret largitione pecuniae, sed insulâ redditâ* (*ἀποδιδούς*) *confideret, se ab omnibus animi generosi laudes impetraturum:* Achaeos autem, *ne eiusmodi admitterent dona, quae et in posterum Aeginetis spem libertatis sint ademtura.* Qua oratione adeo concitata est multitudo, ut largitio Regis respueretur. Tenuit igitur Eumenes Aeginam. Et cum a. u. c. DXXC. ab Euandro Cretensi, subornante Perseo, Delphis paene caesus esset; amici regii corpus eius deferunt Corinthum, indeque per Isthmi diholcos, ut tum fieri solebat, navi traductâ Aeginam traiiciunt, et ibi vulneribus curandis operam dant. Atque tamdiu Aeginetae, donec cum ceterâ haereditate Attalicâ Romanis traderentur, Regum Pergamenorum in ditione mansisse videntur.

§. 9.

---

c) Polyb. XI, 6. 8. De Oreitis cf. Liv. XXVIII, 5.

d) Liv. XXVII, 30, 10. 33, 4. XXVIII, 5, 1. XXXI, 14, 12.

e) A. u. c. DMXII. Liv. XXXVI, 42, 6.

f) XXIII, 8. Sensit iam Sevinus in Act. Ac. Inscr. T. XII, p. 218. 274. Cf. Excc. Deliac. in Obss. Miscc. T. VII, p. 42.

g) haec et Liv. XXXVI, 33, 4. XXVI, 42, 6.

§. 9. Tempora Romana et Byzantina et Francorum.

M. Antonio in Graecia et Asia dominante, Aeginam Athenienses tenebant cum Ico, Ceo aliisque, donum triumviri [h]). Quod in tempus refero numos Aegineticos notis Atticis insignitos. Ademisse iis eam cum Eretriâ Octavianum, tradit Dio Cassius [i]). Quae tangit non inficetus locus Plutarchi (Apophth. p. 207 de Caesare Octaviano: *Cum Atheniensium populus deliquisse quid videretur, scripsisse illum ex Aegina,* οἴεσθαι μὴ λανθάνειν αὐτοὺς ὀργιζόμενον, οὐ γὰρ ἂν ἐν Αἰγίνῃ διαχειμάσειν. *sed praeter hoc in eos nec dixisse, nec fecisse quidquam* [l]). Hinc apertum est, Sulpicii ad Ciceronem (Epist. IV, 5.) haec haud magnopere premenda esse: *Post me erat Aegina — dextra Piraeeus — oppida, quae olim florentissima fuere, nunc prostrata*

---

h) Appian B. C. V, p. 675. Steph.

i) LIV, 7. p. 735. Reim. Cf. Meurs. de fort. Athen. Opp. I, p. 48. Excc. Del. p. 62.

l) Quae omnino contemptum insularum significant, qui quantus sub Romanis fuerit, quis nescit. Non dico de Gyarensibus Caesarem, ut ipsos tributo CL denariorum levaret, obsecrantibus (Str. X, p. 334. Abeunt in prov. v. Epict. Diss. I, 25. II, 6. III, 24. 100. 113. IV, 4.): sed de ipsa Naxo, quae ut Patmus, Seriphus, Cythera et alia saxa (Tac. Ann. I, 2. III, 69. IV. 21. Plin. H. N. IV, 12. Iuven. VI, 563. X, 170. XIII. 246. Stat. Achill. I, 205. Spanh. in Call. in Del. v. 3. Heyne Opuscc. I, 4.) deportatorum facta erat infelix receptaculum. Tac. Ann. XVI, 9. olim Bacchi sedes. De Delo desolata Excc. Del. 64. Quid quod iam νησιώτου nomen inter opprobria est. V. Wyttenb. ad Plut. Comm. T. I, p. 925 — Attamen ad Platonis locum de *Seriphio* (Rep. I, c. 4.) potius Attici advocandi erant, quam Iuvenalis et Seneca. Ubi quanquam plerique Platonem in patriâ hominis a Themistocle obiurgari secuti sunt: verius tamen Herodotus eum *Belbinitam* dixit (8, 125.). Nam Seriphus eaeque insulae, post bella Persica demum sociorum suorum avaritiâ attritae, de iis queri iisque ita derisui esse coeperunt. Iam quidem Solon fragm. 16. ap. Gaisf. p. 339. *εἴην δὴ τότ᾽ ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινίτης.* Nota tamen rixa Andriorum cum Themistocle. Plut. 122. c. Delios dei parasitos irridet Comicus ap. Athen. IV, 173, Myconios calvos Cratinus ib. I, 7. (*Μυκώνιος γείτων* Zenob. V, 21. *συμπόσια* Apostol. XIII, 33.) *Λέριοι κακοί* Str. X, 487. d. De Peparethiis Pl. Alcib. I, 116. c. Seriphum delusisse Cratinum *ἐν Σεριφίοις*, etiam e fragmento ap. Hephaest. p. 50. perspicitur. Apertior locus Aristoph. Acharn. 540. Auxerunt fastidium Oratores. *Humiliora vobis suaderem*, dicit Demosth. *π. συνταξ.* p. 102. *si Siphnii essetis, si Cythnii.* Cf. Aristid. II, 119. 358 Isocr. Or. Aegin. 2. *ἔγημεν ἐκ Σερίφου παρ᾽ ἀνθρώπων πολὺ πλείονος ἀξίων ἢ κατὰ τὴν αὐτῶν πόλιν*, et Cicero de N. D. I, 31. *quae sunt tantae animi angustiae, ut si Seripho natus esses nec unquam egressus ex insula.* De *Aeginetis* similiter Demosth. in Aristocr. 690.

et diruta ante oculos iacent [m]). Neque enim Pausaniae tempore Aeginae urbs plane interierat. Proximis temporibus *Aegina liberae conditionis*, ut ait Plinius (IV, 19, 12.): Vespasiano autem principe et haec insula αὐτονομίας etiam speciem amisisse videtur [n]), Hadriano tamen recepisse. Spectat haec inscriptio (a Fourmonto Athenis in basi reperta) plurimis aliarum civitatum, eodem tempore et consilio scriptis, persimilis: nullum enim Graecorum oppidum hic Augustus non auxerat aedificiis, immunitatibus, honoribus, annona, vectigalibus remissis:

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑΚΑΙΣΑΡΑ
ΤΡΑΙΑΝΟΝΑΔΡΙΑΝΟΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΝΟΛΥΜΠΙΟΝ
ΚΑΙΑΡΧΗΓΕΤΗΝΗΠΟΛΙΣ
ΗΑΙΓΕΙΝΗΤΩΝ ΤΟΝΕ(αυ)
ΤΗΣ ΣΩΤΗΡΑ ΚΑΙ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΔΙΑ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥΣΩΣΙΚΛ
ΕΙΔΟΥ. [o])

Et supersunt numi, neque pauci, circa Elagabali tempora signati, quorum temporum omnino plerosque esse e numis Graecarum civitatum imperialibus, numismaticos haud fugit. Multum certe rarior moneta familiae Augusteae, nulla fere Flaviorum. Parebat postea Aegina imperio Byzantino, eaque non Peloponnesi sed Helladis provinciae adscripta [p]). Apud scriptores Byzantios eius vel nulla mentio, vel perrara. Torpent in imperii mole civitates exiguae. Neque hic Peloponnesi multifaria fata memorari possunt. Post Christianismum illatum, ut fabulosiora omittam, Theodora memoratur Thessalonicensis circa a. p. C. DCCCLXXX. Antonio patre, Aeginae Presbytero, nata [q]).

---

m) Tiberii tempore tradunt quidam Aeginam terrae motu vastatam esse: sed ni fallor erroris ansam praebuere Aegeatae ap. Tac. Ann. II, 47. Simili errore Palmerius in Frontino IV, 6, 22. Aeginensium liberos a Boeotiis caesos esse, legit, ubi Segovienses et Viriathus restituti sunt.

n) Cf. Spanh. Orb. Roman. II, 14, p. 375.

o) Hic nullum amplius dialecti doricae vestigium. De forma *Αἰγεινητῶν* v. p. 93.

p) Constant. Porph. them. II, 5. ap. Meurs. Opp. T. V, p. 1458.

q) Cuius ex encomio per Nicol. Carbasilam, archiep. Thessalonicensem, in Vv. Sanctor. April. V, 1. d. s. p. 405. haec de insula -

Sed et hanc mittimus. Eo statu insula tamdiu permanebat, donec expeditione cruciata in Graecorum perfidiam conversâ, per Peloponnesum, Boeotiam, Atticam novis Europaeorum regnis exortis, Galeottus Malatesta, Antonii Regis Thebarum gener, insulam in ditionem suam acciperet [r]). Cui succedunt Veneti. Et en Aegina per incolarum indolem nauticam novis opibus novaque felicitate effloreseit [s]). Anno p. C. MDXXXVII. Franc. Surianus, rei publicae praetor, insulam tenebat [t]): cum Barbarossa pirata, Cytherâ frustra oppugnatâ ferocior, appelleret atque, Suriano quamvis cum Aeginetis fortissime repugnante, tandem victor, arcem, in quam illi recesserant, expugnaret [v]). Et iam iterum Thyreae et Sulpicius. Viri caesi, mulieres divenditae, urbs incensa, insula inde praedonum sedes et armamentarium. Suriani tamen sepulcrum marmoreum fortasse et nunc, credo, visitur: nescio a quo exstructum [x]). Piratas autem inde totum mare Aegaeum turbantes expulsurus, Mohamete IV. barbarorum principe, a. dom. MDCLIV. Franc. Morosinus, tum Venetorum nauarchus et Cretae proconsul, dum, ut olim Themistocles, per Cyclades stipem exigit, advenit, insulam recepit et arcem diruit. Capti tum sexcenti Aeginetae et barbari, et quoniam sese defendere ausi erant, triremium remigio assignati [y]). Nec diuturna Venetorum dominatio: quos tamen anno MDCXCIII. insulam adhuc tenuisse, probat inscriptio haec. Legit eam in turre a Venetis contra Turcas prope portum exstructâ Chandlerus [z])

D O ΔΗΜΟΣ*
FRANCISCI MAVROCENI
DVCIS VENETI & CGMIVSSV
ALOYISIOM OCENICO
C GVLPHI CVRANTE
ERECTA
A MDCXCIII

---

nostra describo: *ἔστι τοίνυν αὕτη νῆσος τῶν ἐν Ἑλλάδι κεφάλαιον, ὡς εἵνεκα μὲν μεγέθους καὶ κάλλους καὶ θέσεως μείζω καθάπαξ τῶν προσοίκων ἀναφῆναι* etc.!!

r) Coronelli Morea (Par. 1685.) II, p. 80.

s) Dapper. Archip. p. 280.

t) Piacenza *Egeo redivivo* p. 550.

v) Dapperus ipsum *Solymanem Primum* Aeginam expugnasse scribit. Sed erat tum Barbarossa e pirata Solymanis Bassa factus. Cantimir. l. 3. trad. Ioncqu. T. II, p. 317. Cf. Gr. et Guthrie ed. Heyne VII, 2. p. 158.

x) Spon. Itin. p. 206. Coron. 81. Piac. 551.

y) Coron. l. l. Spon. 205. Cf. Cantimir. 4. T. III, p. 369. sq.

z) Travels in Greece ch. 4. p. 15.

Omissis, quae e lapide vetere voces Graecae relictae sunt, restituo: *Francisci Mauroceni* (Morosini Peloponnesiaci, qui sub a. MDCXXCIX. e mari Aegaeo revocatus et *Dux Reipublicae* constitutus est [a])) *Ducis Veneti et Com. iussu, Aloysio Ocenico C. Gulphi curante, erecta a.* 1693. Nonaginta nunc et novem anni sunt, ex quo Aegina et omnis Peloponnesus barbaris servit: utinam seculum haud compleri siverint principes Christianissimi. — Nuper, ut Gellius Anglus refert [b]), Hydreatae, instar Aeginetarum veterum e saxo suo in mare dominati, industriâ, mercaturis per mare mediterraneum et Pontum, classe haud exiguâ, urbe inquilinis frequentissimâ nunc omnium maxime florentes, et Aeginam et Calauriam sibi subiecerunt [c]), an magno Aeginetarum compendio, dubito equidem.

---

a) V. Mignot. Hist. Ottom. III, 414. Cf. de eo Fanelli Atene Attice IV, p. 344.

b) Argol. p. 131. cf. Stuart Antt. Att. p. LX. Ukert. Graecia delineata p. 99. 119. 240.

c) Hydrea Scyllaeo prom. vicina in omni antiquitate insula ignobilis. Hecat. ap. Steph. Byz. Paus. II, 34. 9. *Ὑδρέα.* Scopulus est etiam aquâ carens. (ut Calauria. V. Vitruv. VIII, p. 159. Athen. II, 42.) *Ὕδρη πόλις.* Zonaras p. 1762. Parebat Hermionensibus, emerunt Samii. V. p. 112. Memorabilis Hesych. *Ὕδρα νῆσος εὐτελὴς Δολόπων.*

Epimetrum.

Nunc insulae, quae *Egina* [d]) dicitur, vilis vicus est, IV. M. P. a monte Panhellenio distans, octingentas domus continens, sed magna ex parte deletas [e]). Desuper imminet

d) Omnes scriptores classici *Αἴγῑνα*. (Il. B, 562. Hymn. in Apoll. Del. 31. Pind. P. VIII, 103. etc. Aristoph. Vesp. 121. Dion. Per. 511. Argon. Orph. 130. Anthol. Brunck. T. III, p. 174. ἀδεσπ. 118. Ov. Metam. VII, 474. Avien. 679. Priscian. 535.) Debebat igitur Dawesius si in Miscell. Crit. p. 55. auctorem Isthmion carminis ultimi *Αἴγιναν* v. 17. corripuisse putabat, id carmen ex tota antiquitate erudita exulare iubere. *Αἴγῐνα* autem habes in epigr. ἀδεσπ. Anal. Brunckii T. III, p. 595. in Paulum Aeginetam: et ita ipsum Eustathium pronunciasse, verba eius ad Il. l. l. manifeste arguunt. Hinc nomen Egĭnae defluxit, litterâ secundâ molliter diffusâ, a Francorum, ut illic audiunt, nautis e more eorum corruptum. V. Chandl. Itin. p. 14. cf. Wheler. et Spon. (ed. Amstelod. 1679. T. 2.) p. 203. Kingsbergen 42. — Addimus hic passim de nomine Aeginae notatis quaedam, quae alii loco subtexi nequibant. — *Aeginaeus* quanquam apud Latinos non reperitur: adhibuimus tamen usu Graeco. Nam aliud est puer Aeginaeus, qui liber est, et Aegineticus, servus. A Latinis autem in his multa licentius novata sunt, quam nos imitari ratio iubet. V. Stephan. Byzantium, ubi Berckelius, perperam intellecto Harpocr. s. v. *Ἀγασικλῆς*, pessime *Δείναρχος ἐν τῷ κατ᾽ αὐτοῦ ξενίας* scripsit. Cf. s. v. *Γάζα*, Etym. M. Formam *Αἰγιναῖος, αία, αῖον* Gronovius Herodoto VII, 179. VIII, 90. et Sylburgius Pausaniae III, 14, recte restituerunt. Cf. Tzschucke ad Strab. VIII, p. 376. *Ἡ Αἰγιναίη* sc. *χώρα*, urbi opposita, legitur ap. Herod. V, 86. Wessel. male *νῆσος* supplet. De declinationis vocis *Αἴγινα* usu constanti monuit Heyne ad Apoll. III, 13. de accentu syllabaeque ultimae quantitate Boeckh. ad Pind. O. VII, 86. Semel in Hymno in Ap. Del. 31. *νῆσός τ᾽ Αἰγίνη*, nisi *Αἴγινα* restituendum est.

e) Dapper. 274. Kingsb. 43. Spon. p. 206.

arx, de qua tota insula antea Xylocastro audiit [f]), difficilis accessu, saxum abruptum, unde ad Phylen, nunc Antimelum, usque prospectus, a Venetis a. MDCLIV. diruta necdum instaurata. Portus nunc nullus: navicularii inter vicinas syrtes et insulas stationem habere coguntur [g]); contra, si Aeginetis credideris tot, in insula aedes sanctae, quot dies anni, aediculae nimirum gurgustiis similes. In urbe altera Latinorum, altera Graecorum, prope portum veterem Scti Nicolai fanum: ceterum et Demetrii et Ioannis Theologi sunt monasteria. Sctique Georgii, nunc principis Graecorum herois, de quo etiam Belbina nomen adepta est [h]), monstratur caput. Episcopus Aeginaeus (primum eorum, Sctum Crispum, ab ipso Paulo apostolo baptizatum esse, mythus memorat Graecanicae Ecclesiae [i])) metropoli Athenarum subiectus est: propraetor Osmanus, dum erat, quotannis stipem XII. marsupiorum, quae vocant (quingenorum argenteorum Hispanicorum), exegerat. Ex antiquitate praeter ea, quae animo tantum, ut urbem veterem portusque molem, vidit Chandlerus, supersunt templi Veneris columnae duae [l]): plura et magnifica de Panhellenio, hexastylo, hypaethrali, cum pronao et postico, ceterum, architecturâ Doriensi, templi Paestani simillimo, cuius situs a mari remotior praedonum incursus detinuit, splendor peregrinorum nunc omnium oculos attrahit [m]). Cetera omnia referunt tempora nostra, dominorum, nisi nunc forte nova salus affulsit, ignavam superbiam, subditorum exsanguem imbecillitatem.

---

f) Piacenza 545.

g) Cor. 79. Spon. 206. Insula scatet perdicibus, ut olim et nunc Anaphe. Contra nullus ibidem lepus, sicut quondam in Astypalaea. Athen. IX, 400. h) Gell. 165.

i) V. Vitas Sctorum ad Oct. d. 4. Cf. Creta sacra I, 125.

l) Spon. Whel. l. l. Antt. Ioniae (Lond. 1797.) P. II, c. 5. n. 1.

m) Spon. 226. Chandl. c. 3. p. 12. Antt. Ion. II, 5, 2—7, quae columnas haud dubie rectius disponunt, quam Sponius. Gallus in Hist. Ac. Inscr. T. VII, p. 351. Fourmonti iter describens utrumque templum confudit. Ex inscriptionibus a Fourmonto erutis et ibi memoratis haud paucae situ et squalore periisse videntur. Passim exhibitis addo hanc, quam detexit Villoiso:

ΕΡΑΤΩΛΑΚΡΕΙΔΑ
ΘΥΓΗΤΗΡΝΕΑ

Aeginae ad litus in cavo subterraneo.

Corrigenda et Addenda.

P. 3, lh. l. Gossellin. Ad *Ukert.* adde V. 1. T. 2. not. l. Gorg. §. 143. p. 511. d. 4, q. *Salmas. p.* 198. adde ed. Trai. ad Rh. 1689. Alibi enim usus sum Parisiensi a. 1629. 5, z. scr. Nonn. XIII, p. 362. (ed. Lubin. 1605. 8.) 7. l. 18. Casaubonus correxerat Οἰνόη. p. 11. n. x. Str. VIII. Paus. VII. Adde huic notae: Et quanquam ego turbinosum mare Aegaeum, Aegam promontorium Aeolidis, Aegas Neptunias, de undarum impetu nomen traxisse, nequaquam improbo (cf. Artemidor. Oneirocr. l. noto c. cognomini Geographo, et hoc Ephesio, ap. Steph. s. v. *Αἰγᾶ*): Aegii tamen nomen ad sacra caprae Oleniae pertinere, Aeginaeque ad Phliasiam, mihi persuasissimum est. — Verumtamen non ob hoc Hermanni *Quassatiam* (quam fere agnoscere videtur Creuzerus Litt. de Homer. et Hesiod. p. 216.) tam cito removi, sed quia tum adhuc nesciebam, virum alias sagacissimum maius quiddam voluisse, quam mythologorum nostrorum vanitatem imitando ludificare. 12, l. 17. pro avunculo scr. patruo. 13, n. h. *Ἀστέριος*. 14, m. l. 5. adde *Lex. Seg. p.* 466. 17, i. Dotim. 33, z. 6. I, 1213. a. 4. *Ἠρήμωσαν*. 36, l. II. B. 39. l. 26. II, 38, 1. r. III, p. 683. 40, r. l. 1. II, 8, 4. s. Hygin. f. 209. u, 4. *Quae Hyrnetho. 5. rapta sit. 6. haesitaverit.* l. 9. 26, 2. Quo ex loco colligitur, Deiphontae Epidauro cessisse Pityreum, hunc abiisse Athenas, et inde Proclem Pityrei f. cum Ionibus migrasse in Samum. 44, 7. Str. VIII. 53. o. Scymn. 57. d. Nunc mihi plane persuasum est de Boeckhii hac coniecturâ: *ἐδήμευσε τὰ μέτρα καὶ μετεσκεύασε*, et explicatione „*ex quo mensuras veteres sustulit, et novas instituit.*" Simplicissimi profecto temporis id erat consilium, mensuras omnes, quae passim exstabant, in publicum redigendi, eas delendi, ac novas ad regulam factas distribuendi. Et sicut obelisci ab Etymologo memorati, ita etiam e mensuris illis veteribus in Heraeo Argivorum nonnullae videntur esse ostentatae. 68, t. Ukert. I, 1. 43. 77, f. Ad cauponariam Aeginetarum indolem fortasse facit Scholium ad Plat. Phaedonem p. 9. Ruhnk. ceterum mire ineptum „Aeginetas utilitatem dixisse ἦδος, gaudium. ἢ ὄ- ὅς] — ἐὰν δὲ ᾖ ἐν μέρος λόγου, ἔσται φίλος, ὡς Ἀθηναῖοι, ἢ ὄφελος, ὡς Αἰγινῆται, ἢ ὄξος, ὡς Χαλκιδεῖς, ᾧ πρὸς τὰ ἱερὰ χρῶνται." Nisi totum e Comico quodam Aeginetas et Chalcidenses irridente desumptum est. 96, 3. vereor. 98, l. 36. Samum ab Archontibus gubernatam esse nescio. — Nam Archontes Samiorum Atticos (Thuc. I, 115.) huc non pertinere, quis non videat. 100, l. l. 4. Siebenk. 103, v. Adde Lex. Seg. p. 227. et 232. ubi corr. *πέμπτην καὶ ἑβδομηκοστὴν Ὀλυμπιάδα στεφανωθείς*. Nam Gelonis insidiis interfectus esse traditur. Quod ad Glauciae Aeginetae aetatem definiendam multum confert. 109, 5. adde: maxime si Iuppiter Panhellenius, aeque ac Dodonaeus, *Νάϊος* erat. Quod utique credibile. 112, 19. Ol. LXXII. 118, 35. στρατεῦσαι. 128, g. Reineccium. 130, q. Exordium erat videlicet

legis Aeginaeae, quod fortasse in proverbium abiit: εἴ τις περὶ πόλιν νύκτωρ περιπλανᾶται, ὀφειλέτω δραχμὰς τοσαύτας. 136, 15. ΓΟΝΟΝ ΓΟΤΙ. 139, 16. Ἐρεχθείδας quidem, Αἰγείδας, Πανδιονίδας, ceterasque tribus eodem modo nuncupat Epitaphius Demostheneus, quem vocant: verum tamen genuinum Atticum unquam Αἰαντίδην eum appellasse, qui non vere esset Aiantida, et Aegidam quenquam, praeter Theseum (ne apposito quidem τὴν φυλὴν, ut Plut. Pericl. 3.): id velim mihi demonstretur. 144, k. l. 2. 1742. 167, i. l. 3. Gesnerus. 183, o. meminit.

Index.

Insunt Aeginetarum, quotquot occurrunt, nomina.